
UC-NRLF
$B 109 954


EX LIBRIS
SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
CATTEDRA DI COLTVRA
ITALIANA


IL LIBRO ITALIANO

ALOISIUS GRAMATICA

E CONLEGIO DOCTORUM BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE

ATLAS GEOGRAPHIAE BIBLICAE

ADDITA BREVI NOTITIA REGIONUM ET LOCORUM

EDITIO MINOR

TABULAE

BERGOMI
EDIDIT " *ISTITUTO ITALIANO D'ARTI GRAFICHE* „
1921
PRINTED IN ITALY

Quum opus, quod inscribitur "ATLAS GEOGRAPHIAE BIBLICAE„ nihil contineat contra fidem vel mores, imprimi potest.

Bergomi, 4 Martii 1921.

CAN. JOSEPHUS PEZZOLI
Censor Ecclesiasticus.

Bergomi, e Curia Episcopali, die 5 Martii 1921.

IMPRIMATUR
CAN. FLORIDI V. G.

CAPUT I.

ASIA OCCIDENTALIS

1. PROEMIUM. — 2. ASIAE ANTERIORIS OROGRAPHIA ET HYDROGRAPHIA. — 3. ARMENIA. — 4. MESOPOTAMIA. 5. ASSYRIA. — 6. BABYLONIA ET CHALDAEA. — 7. MEDIA ET PERSIS.

1. Tabula prima illam partem Asiae occidentalis exprimit, quae extenditur a 30° gradu longitudinis orientalis Greenwich ad 54um et a 24° ad 40um gradum latitudinis borealis, et resumit totum fere theatrum divinae revelationis et historiae.

Etenim in extremo septentrione describitur Armenia, quae propter quattuor flumina principaliora, quae in ea caput habent, nempe Euphraten et Tigrim (cf. Gn 2, 14), Phasin et Araxen, quibuscum comparantur Phison et Gehon (ib. 2, 11, 13), visa est a nonnullis prima sedes generis humani, in eaque situs Paradisi terrestris quaesitus est [1]. Montes autem Armeniae, et inter eos praesertim Ararat, communiter designantur tamquam locus ubi Arca Noë post diluvium requievit, et unde coepta est nova humani generis procreatio (cf. Gn 8, 4 etc.).

In meridie autem conspicitur situs non modo urbium Babylon, Arach, Achad et Chalanne in terra Sennaar (Gn 10, 10), principium regni Nemrod, et regio ubi confusio linguarum et dispersio populorum facta est (ib. 11, 1); sed Chaldaea quoque, in qua est Ur = *el-Mugheir* " terra nativitatis " Abrahae patris " omnium credentium " (Rm 4, 11), cuius migratio in Haran et, mortuo patre, Deoque vocante, in terram Chanaan, initium est illius eventus, quo terra Chananaeorum facta est terra promissionum et terra sancta per antonomasiam.

Huic autem terrae contermina est Aegyptus, quae, etsi principium Africae, ab antiquis Asiae adscribitur, eiusque historia cum historia sacra intime cohaeret: fuit enim terra ubi Israël crevit in populum, palaestraque in qua ad civilem vitam sese praeparavit.

Regio autem media et orientalis istius Asiae partis ea est in qua quattuor imperiorum Assyriorum, Babylonensium, Medo - Persarum et Graecorum historia evolvitur, quae quidem historia multifariam populi Dei historiae interest, non modo quia iis imperiis eorumque ducibus non semel Deus usus est tamquam flagellis et virga ut corriperet et ad meliorem frugem reduceret populum suum (cf. Is 10, 5 seqq.); sed etiam quia per eadem imperia orbis universus praeparatus est quasi per gradus ad novum illum ordinem, qui religionis christianae promulgationem ac diffusionem possibilem reddidit et promovit.

[1] Iuxta alios Paradisus terrestris quaerendus est ubi Euphrates et Tigris coalescentibus in unum efformant *Shatt el-'Arab*. Gihon autem et Phison dicuntur e contra duo fluenta, in quae ipsum *Shatt el-'Arab* dividitur antequam ad mare perveniat.

2. Interea, remissa tractatione de ceteris ad capita peculiaria, hic enucleatius describimus eam tantum regionem quae orientem et meridiem versus extenditur, quamque contra aquilonem cingit Taurus et in duas veluti partes dividit Zagrus mons, qui protenditur in meridiem vergens ad solis ortum et cuius pars anterior, qua connectitur cum Tauro et Caucaso, Choatras, pars vero posterior, qua parte attingit Persidem, Parachoatras appellatur.

Ex Tauro autem et ex monte Zagro defluunt praecipua flumina, quae universam regionem irrigant et fecundant, et tributaria sunt vel maris Caspii seu Hyrcani vel sinus Persici.

Inter priores ab antiquis scriptoribus recoluntur:

a) Araxes ortum habens in Armenia non longe a fontibus Euphratis. In primo suo tractu vocatus est etiam Phasis (Xenophons, *Anabasis*, IV, 6, 4), in extremo vero, postquam alluit Mantianam regionem, coniungitur cum Cyro flumine quod est nobilissimum ex his quae de Caucaso ad mare Caspium properant.

b) Amardus, qui oritur in montibus Mediae Atropatenes, et Amardorum, a quibus nomen accipit, regionem irrigat.

In sinum Persicum vero decurrunt Euphrates et Tigris, praestantissima totius Orientis flumina.

Euphrates " magnus fluvius " (Gn 15, 18 etc.) vel simpliciter " fluvius " (Gn 31, 21 etc.) dictus, ortum habet in montibus Armeniae, ubi, prope Melitenem " caput Armeniae minoris ", coalescentibus in unum Euphrate occidentali = *Kara-su* et Euphrate orientali vel Arsania (Plinius, *H. N.* V, 24) = *Murad-su*, crescit in magnum flumen. Sic efformatus perrumpit Taurum montem et viam sibi pandit versus meri-

diem primum Samosatam et, post acceptum a dextero latere adfluentem *Sagiur*, Saguram antiquorum, Apameam, Charcamis (Is 10, 9) = *Gerabis*, Bethamnarim, Barbalissum alluit. Tunc vergit ad orientem, et augetur prope Nicephorium, Balicha et prope Circesium Chabora. Properat deinde versus Babylon, irrigat Chaldaeam et haud longe a vico *Qorna* coniungitur cum Tigride efformans *Shatt el-'Arab*, quo mediante in sinum Persicum effunditur.

Tigris, " ita appellant Medi sagittam „ (Plin. *H. N.* VI, 27) ex concitato cursu nomen habet: dicitur autem in libris sacris " fluvius magnus " (Dn 10, 4) et exsilit prope lacum *Gölgiuk* ex montibus Armeniae non longe ab Euphratis orientalis cataractis. Efformatur autem unione *Digle* seu *Schatt* cum *Batman-su* = Nymphius (Procopius, *B. P.* I, 8, 21), et primo dirigitur versus ortum solis, donec, accepto novo adfluente Centrite seu Tigri orientali = *Botan-su*, qui etiam per torrentem *Bitlis* aquas colligit regionis australis Tospitis lacus, descendit in meridiem vergentem ad solis ortum, augeturque pluribus et abundantissimis adfluentibus ex latere sinistro. Principaliora sunt:

Zabatus magnus = *Zarb el-kebir*, seu Lycus. In huius valle via erat, quae per Mediae portas (Strabo, XI, 13, 8) vel Zagri portas (Ptolem. VI, 2, 7) ab Assyria eiusque urbe regia Ninive, in Mediam magnam ducebat.

Zabatus minor = *Zarb saghir.*

Physcus = *Adhim.*

Gyndes seu Dialas = *Diyala.*

In extremo suo cursu autem, antequam coalescat cum Euphrate, per canales quosdam, quibuscum aliquando cum illo coniungebatur, aquarum suarum partem distribuit ad irrigandam Chaldaeorum terram.

Liber Ecclesiastici (24, 35) innuit Tigridis inundationibus, quae cum inundationibus Euphratis conveniebant, scilicet " in diebus novorum ", a mense nempe Martio ad Maium.

Praeter haec flumina notanda sunt etiam Choaspes = *Kercha* et Ulai (Dn 8, 2, 16), seu Eulaeus aut Pasitigris antiquorum = *Karûn*. Sunt flumina Susianae, iuxta quae urbs Susa aedificata est. Antiquitus directe in sinum Persicum descendebant, nunc vero tributaria sunt *Shatt el-'Arab.*

Regio autem sic breviter descripta complectitur Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam, Babyloniam et Chaldaeam, necnon Mediam et Persidem, de quibus breviter.

3. Armenia regio est illa montana, quae extenditur a 38o ad 46um longitudinis orientalis et a 38o ad gradum 41um latitudinis borealis. Montes, quibus constituitur, spectant ad systema orographicum Tauri, qua parte Taurus conterminus est cum Caucaso eorumque cacumina altissima, et quorum apud antiquos scriptores memoria est, sunt Ararat (5160 m.), quem traditio designat tamquam montem, ubi arca post diluvium resedit (Gn 8, 4); et Niphates = *Ala dagh* (m. 3520), unde nascitur *Murad-su* seu Euphrates orientalis.

Praeter flumina Euphraten, Tigrim, et Araxen quae superius descripta sunt, ad hydrographiam Armeniae pertinent plures lacus. Praecipui sunt Lychnitis = *Gök ciai*, cuius aquae in Araxem descendunt, et Thospitis seu lacus Van.

Probabilius in Armenia distinguendae sunt, iuxta Ieremiam (51, 27), tres regiones:

Ararat (4 Rg 19, 37), cui comparatur Urartu inscriptionum cuneiformium et designat fortasse partem Armeniae septentrionalem versus orientem;

Menni, quae iuxta recentiores circa lacum Mantianum sita erat, nempe in parte meridiana versus occasum solis;

Aschenez autem, cui, iuxta Gn 10, 3, erat frater Thogorma, et quae videtur quaerenda in occidentali parte Armeniae.

4. Mesopotamia, quasi terra in medio fluminum, est, iuxta LXX interpretes, unum et idem cum " Aram naharaim " nempe Syria duorum fluminum, et designat regionem quae hodie *el-Gezire* vocatur quaeque circumscribitur Tigri et Euphrate: ad orientem vero finiebatur tractu quo duo flumina maxime conveniunt et qui tempore Persarum muro Medico coniunctus est.

Distinguitur in Mesopotamiam septentrionalem, quae, a Strabone (XVI, 1, 23) Parorea dicta, attingit in aquilonarem partem montes Armeniae et extenditur usque ad eorum extremas propagines, ad Masium nempe, ad montes Edessenos et ad montes Singarae. Abundat aquis et est valde nemorosa, et cerealium ferax. Mesopotamia vero meridionalis, etsi propter inundationes Tigris et Euphratis cerealium culturae non refragans, est praesertim pascuis pecorum et armentorum aptissima. Duo flumina principaliora ipsius intersecant planitiem:

Belias vel Bélechas vel Balissus (Plutarchus, *Crassus*, 23) qui nascitur in montibus Osrhoënes et in Euphratem adfluit prope Callinicum seu Nicephorium.

Chaboras (Plin. *Hist. N.* XXX, 3) seu Habor (4 Rg 17, 6) vel Abronas (Jdt. 2, 14), cui adiacet provinciam Gozan, in quam reges Assyriae captivos Israëlitas abduxerant (4 Rg 17, 6; 18, 11) et qui montis Masii etiam per Mygdonium et Saoccoram (Ptol. V, 18, 3) seu Mascam (Xenoph. *Anab.* I, 5, 4) colligit aquas. In Euphratem descendit prope Circesium.

Urbs antiquissima Mesopotamiae est Haran seu Charrhae, in qua habitavit Abram (Gn 11, 31, 32) et a fratre ipsius urbs Nachor vocata est (Gn 24, 10). Memoria quoque dignae sunt Bathnae, Circesium ad confluentiam Chaboras cum Euphrate et, iuxta nonnullos interpretes, Carchemis in sacris libris appellata, Nisibis seu Antiochia Mygdoniae, Singara etc.

5. Assyria prout stricto sensu accipitur, nempe distincta a Babylonia et Mesopotamia aliisque

finitimis regionibus, in occidente Tigri flumine vel potius collibus qui lateri dextero fluminis imminent, finiebatur, in septentrione montibus Armeniae, in meridie Babylonia et Chaldaea, in oriente vero monte Zagro, eoque a Media dividebatur.

Regio a Rabsace duce regis Sennacherib ita describitur: " terra quae similis est terrae (Chanaan), terra fructifera et fertilis vini, terra panis et vinearum, terra olivarum et olei et mellis " (4 Rg 18, 22); immo ipsi Palaestinae praestabat et aëris temperie et abundantia aquarum, quae vel annuis inundationibus fluviorum vel per canales et aquaeductus distributae in valles et planities, mirabiliter defectui pluviarum, quae, exceptis hibernis mensibus, reliquo anno desiderantur, supplentes, maxime culturae agrorum et soli fecunditati favebant.

Urbes nobilissimae Assyriae fuerunt Assur (Gn 10, 11) = *qalat Sherkat* ad ripam occidentalem Tigridis meridiem versus a Ninive.

Ninive, post Assur et Chale caput regnum Assyriae, in latere sinistro Tigris et ad confluentiam *Khauser-ciai*. Aedificata est, iuxta Genesim (10, 11), a Nemrod, iuxta auctores veteres, a Nino. Tumulus, qui aliquando fuit sedes civitatis habens superficiem quasi 10 km², formam praefert quasi quadrilateram et dividitur *Khauser-ciai* in duas partes: pars aquilonaris vicum Kuiungik sustinet, pars vero meridionalis Neby Iunes. Quia vero a Iona (4, 11) dicitur " civitas magna itinere trium dierum ", credendum est nomine Ninive vocari totam etiam regionem, quae extenditur a *Chorsabad* = Dur Sarrukin, quam sibi aedificavit Sargon rex, usque ad confluentiam Zabatus magni, ipsamque comprehendisse urbes Chale vel Calach = *Nimroud* haud longe a confluenti Tigris et Zab maioris, Resem = *Selamiie* (?) paulo ad septentrionem Chale, et Rehoboth Ir (Vulg. plateas civitatis), de quibus in Gn 10, 11, 12, sermo est, necnon aliae civitates minores, quarum ruinae adhuc supersunt.

6. Babylonia et Chaldaea. — Babylonia vel Babylon vel Babel tum urbem, tum regionem, tum regnum seu imperium babylonicum denotat. Regio autem Babylonia latius patebat quam " provincia Babylonis " (Dn 2, 48 sgg.), et alio nomine vocata est " terra Chaldaeorum " (Is 23, 13 etc.) aut simpliciter Chaldaea (Jr. 50, 10 etc.). Extendebatur autem inter cursum inferiorem duorum fluminum Euphratis et Tigris, nempe a 44° ad 48um gradum longitudinis orientalis et a 30° ad 34um gradum latitudinis borealis, habuitque versus aquilonem Mesopotamiam et Assyriam, versus ortum solis Elam et Susianam; versus occidentem desertum Syriacum. In parte autem septentrionali Achad, in australi parte Sumer aliquando vocata est.

Regio est plana eamque alluebant innumeri canales ab Euphrate et Tigri hinc inde deducti, qui tantam fertilitatem solo contulerant ut regio merito diceretur " ager totius Orientis fertilissimus " (Plinius, *Hist. N.* VI, 30), ibique, iuxta Herodotum (I, 193), frumentum ducentesimum et trecentesimum fructum attulerit.

Canales, quos sacrae Litterae " flumina Babylonis " (Ps 136, 1) vocant, et inter quos commemorantur Chobar (Ez 1, 1, 3 etc.) et fortasse Ahava, alii fuerunt artificiales alii naturales: inter hos praecipuus est *Hindije* qui ab Euphrate oritur, non longe a Babylone, et efformata palude *Negef*, late diffunditur in Chaldaeam (cf. Strabonem, XVI, 4, 1).

Urbes vetustissimae, quarum situm tumuli ex planitie eminentes testantur et quarum historiam Scriptura et monumenta cuneiformia narrant, praeter urbes tetrapolim Nemrod in terra Sennaar constituentes (Gn 10, 10), nempe Babylon, Arach = *Warka*, Achad, canali *nahr Agade* a Sippara separata, et Chalanne = *Zerghul* ad ripam *shatt el-Hai*, sunt: Cutha = *Tell Ibrahim*, unde coloni adducti sunt in Samariam (4 Rg 17, 24); Ur Chaldaeorum = *el-Mugheir*, ex qua migravit Thare cum Abram et Lot (Gn 11, 28, 31); Sippar = *Abu Habba*, Nippur = *Niffer*, Sirpula = *Tello*, necnon Larsa seu Ellasar = *Senkere*, unde erat Arioch, qui cum regibus Sennaar, Elam et Guti Pentapolim Palaestinensem aggressus est (Gn 14, 1). Principalissima autem et nobilissima fuit urbs Babylon ex utraque parte Euphratis sita circa locum ubi nunc vicus Hille exstat. Muri altissimi et latissimi (cf. Jr 51, 13, 58) quadrum formabant, cuius latus exterius erat 120 stadiorum, circuitus autem totius civitatis longitudine 480 stadiorum erat. Templis et aedificiis erat insignis fuitque urbs sacra et caput imperii Chaldaeorum.

7. Media et Persis. — Media contermina est versus septentrionem cum Mari Caspio vel potius cum montibus Elburs, inter quos eminet Iasonius mons (m. 5700); versus orientem cum Parthia et Carmania, versus meridiem cum Gabiana Persidis provincia, versus occasum solis cum monte Zagro qui illam separat ab Armenia et Assyria. Dividitur in Mediam Magnam et Mediam Atropatenem. Haec extendebatur in regione aquilonari, versus solis occasum, circa lacum Matianum vel Kapautam, et eius urbs princeps fuit Gazaca, aliter appellata Ecbatana septentrionalis, de qua sermo est in libro Tobiae (3, 7; 6, 6 etc.); Media Magna autem reliquam regionem complectebatur. In hac notantur Nisaei campi, regio equis alendis excellens. Notantur praeterea urbes: Ecbatana (1 Es 6, 2; 2 Mc 9, 3) = *Hamadan*, caput totius Mediae distans ab Oronte monte = *Elvend* stadia duodecim (Diodor. Sic. II, 13); Rages, domicilium Gabeli Naphthalitae (Tb 1, 16 etc.), a Graecis Europus a Parthis Arsacia appellata. Distans quingentis circiter stadiis a Caspiis pylis (Strabo, XI, 13, 6) dicebatur urbs maxima omnium in Media; nunc autem extant ipsius ruinae non longe a *Teheran*.

Persis extendebatur ad meridiem Mediae, non solum in ora illius sinus quae ab ea nomen habuit, sed longe maior in mediterranea. Pars media, nempe quae extenditur inter regionem litoraneam et desertum Carmaniae est montuosa et non p rum fertilis, singularique gaudet limpiditate et siccitate aëris. Ibi extolluntur montes maximi *Kuh-i-Dina* (5200 m.) et *G. Bukun* (3230 m.), indeque descendunt praecipua flumina, quae in sinum Persicum properant. Ad Persidem, qua parte respicit Babyloniam, spectat provincia Elymais (1 Mc 6, 1) quae temporibus diversis Aelam (Gn 14, 1 etc.) et Susiana appellata esse videtur.

Persepolis, de qua legitur in Scriptura (2 Mc 9, 2), non urbem Persidis praecipuam, sed aliquam urbem Persarum designat. In textu enim parallelo (1 Mc 6, 1-4) urbs illa ponitur in Elymaide in eaque dicitur fuisse templum Naneae dicatum quae erat Aelamitarum dea. Agitur proinde de Susa urbe, de qua et de ipsius arce frequentissimus sermo est in Libris sacris (2 Es 1, 1; Dn 8, 2; Est 2, 5; 8, 15 etc.), et quae cum Persepoli et Ecbatana urbis regiae honorem tempore Persarum obtinuit.

Caput II.

AEGYPTUS, SINAI ET CHANAAN

1. LIMITES ET CONDITIO PHYSICA. — 2. DIVISIONES. — 3. TERRA GESSEN. — 4. SINAI PAENINSULA. 5. AETHIOPIA. — 6. EXODUS HEBRAEORUM.

☞ 1. Aegyptus, apud H braeos Misraim appellata vel ex nomine filii Cham (Gn 10, 6), unde etiam terra Cham in Psalmis (104, 23, 27; 105, 22) dicitur, vel ex forma duali verbi Masor; in monumentis vero hieroglyphicis *Kam-t* (= niger) ex nigra fortasse humo nomen accepit. Est autem regio septentrionalis Africae Palaestinae, Lybiae et Aethiopiae contermina, antiquitate, artibus, et scientiis nobilissima. Extendebatur, iuxta Ezechielem prophetam (29, 10 hebr.), " a Migdol usque ad Syenem et usque ad terminos Aethiopiae " nempe a Magdalo urbe, quae in aquilonari plaga est posita versus orientem, et a Pelusio 12 milia passuum distans (cf. Antonini, *Itinerarium* edit. Wesseling, p. 171), usque ad primam Nili cataractam.

Praeter vallem inferiorem et aestuarium Nili, in orientali plaga desertum arabicum usque ad mare Rubrum seu Erythraeum, et ad regionem Trogloditarum (cf. 2 Par 12, 3 hebr.) necnon ad *w. el-Arish*, qua dividitur a Palaestina, complectebatur; versus occasum solis autem partem illam deserti lybici complectitur, quae includit tres praestantissimas Aegypti oases, nempe maiorem et minorem, et eam quae est prope oraculum Ammonis (cf. Strabo, XVII, 1, 5, 42).

Aegyptus merito ab Herodoto (2, 5) " donum fluminis " appellatur: quod quidem variis ex causis adfirmari potest: primo quia Nilus facilis et expedita via est negotiationibus et commerciis; secundo quia flumen potum optimum et, propter abundantiam et excellentiam piscium, qui in eo sunt, cibum sanum et appetibilem incolis praebet; tertio quia aquae fluminis, per frequentissimos canales et fossas et subterraneos meatus et per altissimos aggeres etiam longissime deductae, universam regionem alluunt et irrigant, supplentque pluviis, quae illic admodum rarae sunt; quarto quia limo aquis niliacis aggesto Aegyptus inferior paullatim, uti perhibent, efformata est, eodemque limo tamquam materia apta domus maxime rusticorum aedificantur et vasa domestico usui necessaria finguntur; quinto demum quia Nilus qui " certis diebus, ut ait Plinius (V. 9), auctu magno per totam spatiatus Aegyptum fecundus innatat terrae " materias ubicumque distribuit, quae mirabiliter conferunt ad soli fertilitatem. Inundationes autem, de quibus hic agitur, et quae Aegypto tanti incrementi sunt, initium habent Iunio ad finem vergente, maximam altitudinem obtinent tempore vindemmiae (cf. Ecli 24, 37 LXX), decrescunt vero mensibus Octobre et Novembre.

Revera feracissimam esse terram Aegypti in proverbio est, auctores veteres paene universi celebrant, Scriptura sacra frequentissime praedicat (Gn 12, 10; 13, 10; 41, 47; Dt 11, 10 etc.) et Hebraei illinc divulsi, ut ad possidendam terram promissionis pergerent, saepe recordantur et lamentantur (Nm 11, 5 etc.). Frumentum, hordeum, fruges omnes, legumina, inter quae Israëlitae commemorant "cucumeres et pepones, porrique, caepe et alia (l. c.), fabae, fici, vineae malogranata, linum et byblus seu papyrus sunt praecipui fructus, quos terra summa largitate profert. Animalia ibi communia sunt boves, prae omnibus cari et sacri, oves, caprae, asini, cameli, canes, equi. Inter aquatiles bestias aliquando abundabat crocodilus, pariter et hippopotamus, qui sub vocabulo Leviatham et Behemoth veluti symbolum Aegypti tradebantur (cf.

Is 51, 9; Ez 29, 3). Item serpentes innumeras Aegyptus alit, " quas omnes magnitudine et decore aspis facile supereminens " (Ammianus Marcellinus, 22, 15) est.

2. DIVISIONES AEGYPTI. — Distinguitur a priscis usque temporibus Aegyptus superior et inferior, utrarumque limes erat non longe a Memphi, quae urbs Aegypti inferioris aliquando metropolis fuit.

Superior igitur, quae vocata est etiam Phathures (Is 11, 11) et postea Thebais ab urbe Thebis, quae eius caput fuit, inferiorem vallem Nili complectebatur. Praeter Syenem, quae est haud longe a prima Nili cataracta et, iuxta Plinium (*Hist. N.* II, 73), aequo stadiorum numero, quinque nempe millibus, distat ab Alexandria et a Meroë, quae est " caput gentis Aethiopum ", et praeter Thebas, quas sub nomine No-Amon recordantur Nahum (3, 8) et Ezechiel propheta (30, 14-16 hebr.), Scriptura commemorat Hanes (Is 30, 4), urbem in medio Aegypto inter Nilum et canalem *bahr-Iusuph* positam et a graecis Heracleopolim, ab arabibus scriptoribus *Ahnas* appellatam.

Inferior autem Aegyptus a triquetra terrae figura simili quartae graeci alphabeti litterae, vocabulo Delta frequenter appellata est, et comprehendit territorium, cuius latera circumscribunt brachia fluminis Canopicum et Pelusiacum. Ad septentrionem enim Mempheos, prope Cercasorum, Nilus scindebatur in tres veluti fluvios quorum extremi in mare prope Canopum et Pelusium influebant, medius autem, vocabulo Phatnicus appellatus, prope Diospolim parvam mare absorbebatur. Ex his autem, praeter plura tenuiora, alia brachia maiora separabantur, quae suum peculiarem ostium in mare habebant, nempe Bolbiniticum, Sebenniticum, Mendesium et Taniticum. Ex quibus brachiis Taniticum et Sebenniticum antequam in mare disperdebantur efformabant lacus *Menzaleh* et *Burlus*, antiquitus Buto appellatum, qui cum Mareotide et lacu *Edku* in septentrionali Aegypto, et Moeride in Aegypto medio posito, versus Lybiam in praefectura Arsinoitica, lacus alicuius momenti totius regionis constituunt.

Ad inferiorem Aegyptum praeter Migdol (Es 29, 10 hebr.) et Memphim (Is 19, 13; Jr 46, 14, 19; Ez 30, 13, 16; Os 9, 8) spectabant urbes in sacris litteris commemoratae:

Heliopolis, On, praecipua sedes sacerdotum (Strabo, XVII, 1, 29) et Putipharis soceris Ioseph domicilium (Gn 41, 45, 50 — cf. etiam Jr 43, 13 et Ez. 30, 17), a qua non longe, circa annum 160 a. Ch., fama est Oniam IV erexisse aedem sacram instar Hierosolymitani templi pro hebraeis hellenistis qui in Aegyptum versabantur (cf. Flavius I. *Ant. I.* XIII, 3, 1-3).

Bubastus (Ez 30, 17) = *tell el-Basta* caput provinciae quae ea ab urbe vocata est.

Taphnes (Ez 30, 14, 18) = *Defenne,* urbs ex praecipuis Aegypti haud longe a Pelusio posita. Alexandria ab Alexandro M. in ora maris Mediterranei et Mareotidis paludis condita et per heptastadion cum insula Phari coniuncta, quae facta est urbs regia tempore Ptolemaeorum et praecipuum veterum emporium, ad quod universi orbis naves appellebant (cf. Ac 27, 6; 28 11-13) [1].

Pro Pelusio, bis in Vulgata latina citato (Ez 30, 15, 16), in textu hebraico legitur Sin et dicitur " robur Aegypti ". Pelusius autem erat sane urbs arte et natura munita meritoque clavis totius terrae habita.

Tanis, quae septem annis post Hebron condita est (cf. Nm 13, 23), urbs erat fortissima et ex praecipuis Aegypti (cf. Is 19, 11, 13), immo tempore Ramses II ex urbis regiis fuisse videtur. In ea enim coram Pharaone Moysem signa et portenta patravisse Psalmus 77, 12, 43, insinuat.

De Magdalo et Phihahiroth (Ex 14, 2), Socchoth (Ex 12, 37; 13, 20) et Etham (Ex 13, 20) sermo habendus est inferius.

Recentius nova Aegypti divisio invaluit, scilicet in Deltam, in Heptanomidem et Thebaidem seu in inferiorem, mediam et superiorem (Strabo, XVII, 1, 3). Delta in meridiem usque Cercasorum; Heptanomis a Cercasorio usque ad Hermopolim magnam, Thebais vero ab Hermopoli magna usque ad Syenem extendebatur. In unaquoque autem regione habebantur plures praefecturae seu νόμοι: in Thebaica quidem decem, in Delta totidem, in intermedia autem sedecim (Strabo, l. c.). Inter nomos notatu digni sunt qui Arabiae pertinent, qui scilicet in ea orientalis Deltae regione reperiuntur cuius pars videtur fuisse Terra Gessen et cui contermina est ipsa paeninsula Sinaitica.

3. TERRA GESSEN, cuius possessio a Pharaone, Iosepho impetrante, data est Iacobo et filiis eius (Gn 47, 11), quaerenda est in eo tractu orientalis Aegypti, qui extenditur ab Heliopolitana provincia ad Heroopolitanum sinum. Regio est nunc arenosa et sterilis, aliquando tamen et pascuis et agris cultis illustris. Canale enim, qui usque ad Darium Persarum regem exstitisse asserit Herodotus (II, 158), tota irrigabatur et fecundabatur. In eaque constructae erant urbes Phithom et Ramesses " urbes tabernaculorum ", ut in Vulgata (Ex 1, 11) legitur, revera urbes munitae, in quibus commeatus, res frumentaria, aliaque ad bellum gerendum necessaria collecta asservabantur. Pithom a LXX interpretibus Heroonpolis, ab Herodoto (II, 158) Pathumos dicta, sita erat ubi nunc est *tell el-Masquta*; Ramesses vero in septentrionali plaga erat et, ut videtur, haud longe a Tani.

4. SINAI est terra quae per promontorium Posidium = *ras Mohammed* protenditur in mare Erythraeum, inter sinus Aelaniticum ad orien-

[1] Loci V. T., in quo versiones perperam dant Alexandriam, in textu originali habent No-Amon (Jr 46, 25; Ez 30, 14-16; Nh 3, 8), idest Thebae, ubi idolum Amon colebatur.

tem et Heroopolitanum ad occidentem. In septentrionali plaga duplex est calcareorum montium series, quarum prima nomen habet *g. er-Raha*, altera vero *g. et-Tih*, et quae ad lacus Amaros incipientes curvantur aliquatenus versus meridiem et attingunt extremitatem sinus Aelanitici. Eorum cacumina vix attingunt 1000 m. et videntur instar marginis vel etiam erismatis immensi cuiusdam valli, seu altae planitiei, quae versus aquilonem per gradus descendit usque ad Mediterraneum. Versus austrum autem per *er-Ramle*, arenosam quandam vallem vel planitiem, *g. et-Tih* separatur a montibus qui verum nucleum Sinaiticum efformant: immensique sunt acervi syenitis, basaltis, marmorisque porphyretici, quorum declivia omnino praerupta directo insistunt campis et vallibus angustis et flexuosis, plerumque nulla arborum vel herbarum viriditate recreatis. In hoc tractu montano sese extollunt *g. Serbal* (m. 2052), *g. Katerine* (2602 m.), *g. Musha*, cuius summitas (m. 2292), comunissime designatur tamquam theatrum theophaniae, ipsiusque vertex septentrionalis, qui *ras Safsaf* (1994 m.) dicitur et qui planitiei *w. er-Racha* sublimis incumbit, tamquam locus promulgationis Legis haberi potest. Hic est verisimiliter mons Sinai, mons Horeb, mons Dei, de quo frequentissime sacrae Litterae loquuntur.

5. Aethiopia. — Ab insula Philae, ultra Syene, extendebatur ad meridiem Aegypti Aethiopia seu, iuxta Hebraeos, terra Cus, cui hodie respondent Nubia, Kordofan et Abessinia septentrionalis, et cuius caput fuit urbs Napata, quae creditur ad Nilum sita in latere dextro prope Gebel Barkal non longe a quarta cataracta. Destructa autem Napata anno 22 a. Ch. per Petronium legatum Romanorum, nomen Aethiopiae applicatum est regno Meroë, scilicet territorio quod fluminibus Aethiopiae (Soph 3, 10 etc.), nempe Nilo, Astabora et Astapo circumscribitur et ideo insula communiter appellatur (Strabo, XVII, 1, 2). Ipsius urbs regia Meroë fuit, ibique reginae Candaces, iuxta Plinium (*Hist. N.* VI, 35) et alios, regnavere (cf. Ac 8, 26-40).

6. Exodus. — Etsi Aegyptus a diebus Patriarcharum fuit refugium tempore famis (Gn 12, 10; 26, 2 etc.) et asylum pro iis qui persecutionem patiebantur (cf. 3 Rg 11, 17, 40; Fr 41, 16-18 etc.); tamen pro filiis Israël fuit in primis et ante omnia domus servitutis, terra oppressionis, ferrea fornax, ad quam, postquam eos Dominus liberavit " manu forti et brachio extento ", omnino prohibiti sunt remeare. Descriptio huiusmodi liberationis et itineris in terram promissionum, quae universam replet Israëlitarum historiam, hic brevissime adumbratur.

Postquam Pharao, mutata sententia, facultatem dedit populo egrediendi de Aegypto, filii Israël de Ramesse venerunt in Soccoth (Ex 12, 37), quod quidem nomen non urbis, uti visum est, sed regionis potius erat. Eius caput fuit Phithon urbs, de qua dictum est supra. Ibi convenerunt, ut omnes simul properarent versus Etham (Ex 13, 10).

Etham urbs erat munita in finibus solitudinis, quae ideo dicta est " desertum Etham " (Nm 33, 8) vel etiam " desertum Sur " (Ex 15, 22) et sita erat ad initium viae, quae recto itinere attingens ora Mediterranei ascendit in Syriam. Quia tamen Deus eos ducere statuerat non per viam terrae Philistim quae vicina erat, sed.... per viam deserti, quae est iuxta Mare Rubrum, eos reverti iubet, deflectere in meridiem et castra metari in Phihahiroth inter Migdol et mare algarum e regione Beelsephon. Ubi haec loca quaerenda sint ignoratur, cum non satis constet utrum necne tempore Moysis mare Rubrum longius quam nunc ad septentrionem protenderetur, utrum nempe attigerit lacum *Timsah*, vel tantum lacus Amaros vel e contra intra fines hodiernos coartatum fuerit. Iuxta eos, qui hanc opinionem sequuntur, Beelsephon ad *gebel Ataqa*, Phihahirot ad *Agerud* ponitur et creditur quod, postquam Aegyptii persequentes filios Israël eos assecuti sunt in castris super mare, nec his ulla via salutis panderetur, non in meridiem quia Beelsephon iter obstruebat, non ad occidentem et aquilonem, quia hostes iam in Phihahirot perventi undique premebant; Moyses iussus est extendere manum super mare et per mare versum in siccum traicere populum suum.

De mari Rubro proficiscentes filii Israël post tres dies veniunt per desertum Sur in Mara, ibique aquae amarae " in dulcedinem versae sunt " (Ex 15, 25). Statio ponitur vel ad *'Ain Naba*, vel ad *el-Ghargada*, vel probabilius in *w. Amara*. Inde profecti veniunt in Elim, " ubi erant duodecim fontes aquarum et palmae septuaginta " (Nm 33, 9), et qui quaeritur vel ad *'aiun Musha* vel in *w. Gharandel*. Transmigrant tunc " super mare Rubrum " (Nm 33, 10) fortasse haud longe ab *w. Tajibeh*.

Post mensem a profectione perveniunt in desertum Sin " quod est inter Elim et Sinai " (Ex 16, 1), ibique eis murmurantibus Dominus dat manna de caelo. Transeunt deinde in Daphca et Alus (Nm 33, 9, 10). Daphca unum et idem esse videtur ac Mafkat, regio illa sinaitica, ubi Aegyptiis fodinae erant gemmarum, quae malachitae vocantur, quique locus hodie appellatur *w. Maghara*. Alus autem nescitur ubi sit. Veniunt deinde in Raphidim (Ex 17, 1) = *w. Feiran*, ibique Deus aquam ad bibendum auxiliumque praebet contra Amalecitas, qui populum impeterant, convenitque Moyses cum Iethro (Ex 18, 1-27).

Tandem tertio mense, die decima attingunt desertum Sinai (Ex 19, 1-23, 33), unde post acceptam legem, postque constructum tabernaculum, omniaque parata ad cultum Dei necessaria, moverunt castra.

Anno secundo igitur, mense secundo, vigesima die mensis proficiscuntur versus solitudinem Pharan (Nm 10, 11) et post triduum veniunt primo Taberam, ibique murmur populi incendio castrorum punitur (Nm 11, 1-3); dein ad sepulcra Concupiscentiae, ubi sciscitanti populo Dominus dat carnes, iubetque Moysen sibi adsumere septuaginta viros, qui ei adsistant et adiuvent (Nm 11, 4-34). Transeunt tunc in Haseroth et Maria soror Moysis plectitur lepra, ex eo quod in fratrem murmuraverat (Nm 11, 34-12, 15). Profecti deinde de Haseroth figunt tentoria, seu se constituunt et diu versantur, in deserto Pharan.

Desertum Pharan, cuius finis orientalis erat *Arabah* usque Elath (cfr. Gn 21, 21; 25, 18); meridionalis *g. et-Tih;* occidentalis desertum Sur vel Etham; septentrionalis vero mons Amorrhaeorum, extendebatur ab Idumaea ad Aegyptum (cf. 3 Rg 11, 18), a deserto Sinai ad fines meridionales Palaestinae. Ipsum autem esse " eremum terribilem et maximam " (Dt 1, 19), in qua " erat serpens flatu adurens et scorpio et dipsas et nullae omnino aquae " (Dt 8, 15 - cf. Jr 2, 6), et per quam Deus traduxit filios Israël ut eos induceret in terram promissionis, indubium est. Ideo ibi quaerendae sunt stationes omnes, quae in libro Numerorum (33, 18-36) describuntur a primo ingressu in Pharan usque ad profectionem de Cades [1], ibique proinde pleraque acta sunt quae de eo tempore narrantur. Itaque de deserto Pharan et proprie de Cades Barnea (Nm 32, 8; Dt 1, 19) missi sunt exploratores, eoque redierunt post quadraginta dies; ibi gravis (ib. 13, 27) murmuratio et seditio exorta est ibique irrogata est poena (Nm 14, 28-35); ex Pharan temerario ausu cum, Domino invito, ascendissent in montem, ab Amalecitis et Chananaeis percussi et profligati sunt usque Horma (Nm 14, 40-45); et, ut de ceteris taceam, postquam morati sunt in Cadesbarne longo tempore (Dt 1, 45) in eodem deserto vagi erraverunt per quadraginta annos, donec " cadavera patrum " consummata sunt. Tunc " per viam campestrem de Elath et Asiongaber " per terminos filiorum Esau venerunt " ad iter, quod ducit in desertum Moab " (Dt 2, 8). Stationes, quae postremo hoc tractu occurrerunt (Nm 33, 37-48), sunt:

Mons Hor, alius fortasse a *gebel Harun*, qui iuxta urbem Petram extollitur et qui a Iosepho (*Ant. I.* IV, 4, 7) et Eusebio (*Onomasticon* ad h. V.) designatur tanquam mons in quo Aaron mense quinto, die primo anni quadragesimi excessit e vita.

Transierunt inde Salmonam et Phunon = *ch. Fenan*, inter Petram et Zoaram et quattuor miliariis distans a Dedan. Ibi, iuxta Eusebium (*Onomasticon*, ad verba Phaenon et Dedan) erant fodinae metallorum; ibique ut creditur, facta est infestatio serpentium ab eisque liberatio (cf. Nm 21, 5-10). Tunc venerunt in Oboth et Ieabarim, quae erat in finibus Moabitarum contra orientalem plagam (Nm 33, 44). " Et inde moventes venerunt ad torrentem Zared " (Nm 21, 12), qui probabilius unum et idem est cum *w. el-Hesa*, quacum a nonnullis interpretibus comparatur torrens Salicum (Is 15, 7) et torrens deserti (Am 6, 15). Tempus autem insumptum a primo adventu in " Cadesbarne usque ad transitum torrentis Zared triginta et octo annorum fuit " (Dt 2, 14).

Hinc uno itinere circumeuntes ad orientem terram Moab (cf. Jd 11, 18) " fixere tentoria in Dibon Gad " (Nm 33, 45) " contra Arnon... siquidem Arnon terminus Moab dividens Moabitas et Amorrhaeos " (Nm 21, 11). " Unde egressi castrametati sunt in Helmon (= Baalmaon (?)) "... deinde ad montes Abarim et tandem ad campestria Moab " ibique castrametati sunt de Bethsimoth usque ad Abelsatim " (Nm 33, 49).

[1] Stationes quae ibidem describuntur sunt:
Rethma = *w. Rethama* occidentem versus ab *'Ain Qadis* nempe Cadesbarne.
Remmomphares.
Lebna = *el-Beida* (?).
Ressa seu Rasa quae in Tab. Peuting. 32 miliaria ab Aelat et 16 mil. a Gypsaria ostenditur.
Ceelatha.
Sepher mons = *g. Araif.*
Arada.
Maceloth,
Thabath.
Thare.
Methca.
Hesmona.
Moseroth, seu " Mosera, ubi Aaron mortuus et sepultus est " (Dt 10, 6). Quomodo hic textus componatur cum Nm 20, 25; 33, 37, 38 vide exegetas.
Beneiacan statio, quae in Dt 10, 6 vocatur Beroth filiorum Iacan, nempe putei cuiusdam tribus, quae nomen acceperat a Iacan horrhaeo (Gn 36, 27; Par 1, 42). Locus ab Eusebio (*Onomasticon* ad v. Beroth) dicitur " in deserto.... in X lapide urbis Petrae in montis vertice ".
Gadgad mons, vel caverna (hebr).
Ietebatha " terra aquarum atque torrentium " (Dt 10, 7).
Hebrona.
Asiongaber, urbs " quae est iuxta Ailath in litore maris Rubri, in terra Idumaeae " (3 Rg 9, 26), in via publica (Dt 2, 8).
Cades in deserto Sin (Nm 33, 36), ubi mortua est Maria soror Mosis et aqua educta est de petra (Nm 20, 1 sqq.). Haec Cades, posita in solitudine Sin, quae est iuxta Edom et contermina Palaestinae meridionali (Nm 34, 3; Is 15, 1), alia est, ut videtur, a Cadesbarne quae erat in deserto Pharan.

Caput III.

SYRIA

1. NOMEN ET EIUS PHYSICA CONSTITUTIO. — 2. OROGRAPHIA. — 3. HYDROGRAPHIA.
4. PRAECIPUAE DIVISIONES. — 5. HABITATORES.

1. Syria, ex Assyria nomen derivatum, designat regionem quam veteres Aram appellabant.

Vario tamen sensu usurpatur nomen Syria: sensu lato tribuitur territorio, cuius finis aquilonaris est mons Taurus, quo segregatur a Cappadocia; occidentalis Amanus, qui " ab Syris Ciliciam separat " (Plin. *H. N.* V, 22) et mare Mediterraneum aliquando Syriacum vel Phoenicium dictum; meridionalis desertum arabicum et Aegyptum, tandem orientalis Arabia deserta, Assyria et Babylonia. Sensu strictiori sumpta, prout nempe Syria a Mesopotamia, seu ab Aram Naharaim, et a Palaestina distinguitur, habet limitem orientalem Euphratem et deserta Syriae = *el-Hamad*, australem autem *nahr el-Qasimije* et Damascenen seu Syriam Damasci: coartatur nempe in meridiem gradu 33·20' latitudinis; orientem versus 38-20' et 40o gradu longitudinis orientalis.

Distingui solet in Syriam superiorem et inferiorem, quarum communis limes est Eleutherus flumen et via, quae post vallem Eleutheri Palmyram attingit.

Syria superior valle Orontis per medium alluitur et dividitur in duas regiones plane diversas. Occidentem versus post planitiem in ora maritima, plus minusve montibus artata, qui quandoque ipsi mari imminent, assurgit Bargylus = *g. Nosairrije* (m. 1500 c.), sequiturque media vallis et ad orientem planities montana, quae desertum syriacum appellatur et quae adsurgit super aequor maris 300 m. vel circa.

Varia igitur est et aeris temperies nec multum differens a palaestinensi; nempe tropicalis est in planitie occidentali, sed marino aere temperata; mitis et quandoque frigida in montibus; aestuans et molesta in valle Orontis, in planitie montana et in deserto.

Syria inferior autem a duplici montium systemate et valle intermedia, quae Coelesyria = *el-Beqa'a* proprie vocatur, constituitur.

2. Montes qui ad Syriam pertinent, praeter Taurum qui eius limes aquilonaris est, sunt:

Amanus mons = *Alma Dagh*, qui imminet sinui Issico ex latere orientali et cuius meridionalis propago appellatur mons Rhosium = *g. Musha* et desinit in Rhosicum promontorium. Per Amanum ab Alexandria usque ad Pagras vel potius ab ora maritima usque ad planitiem Antiochenam via est, cuius tractus altissimus, non longe a Belan " Syriae portae " (Xenoph. *Anab.* I, 4, 4) dicitur; ad Ciliciam vero accessum praebent " portae Amanidae " (cf. Cicero, *Epist. familiares*, XV, 4).

Mons Cassius = *g. Aqra* (m. 1770).

Mons Bargylus = *g. Nosairrije*, qui a *g. Aqra* initium sumens protenditur in meridiem usque ad Eleutherum flumen, ubi regio est, in qua Libani " desinunt montes et, interiacentibus campis, Bargylus mons " (Plin. *H. N.* V, 20) adsurgit.

Libanus est altissimus et celeberrimus Syriae mons eiusque summa cacumina sunt: *ras esh-Shmeile* (m. 3360 (?)), *g. Makmal* (3126 m.), *Dahr el-Qodib* (3063 m.), *g. Sannin* (2750 m.) etc. Ex adverso autem, contra orientem extenditur

Antilibanus = *g. esh-Sherhi* qui paulo minoris est altitudinis — supremum verticem habens *talat Musa* (m. 2680) — et in cuius meridionali parte erigitur

Mons Hermon = *g. esh-Shech*, seu *g. et-Telğ*, " quem Sidonii Sarion vocant et Amorrhaei Sanir " (Dt 3, 9), et est extremus limes Syriae contra Palaestinam.

3. In Coelesyria, non longe ab Heliopoli, ortum habent duo principalissima flumina Syriae, Orontes et Leontes.

Orontes = *nahr el-Asi* decurrit septentrionem versus. Fluit non longe a Cades = *tell Nebi*, quae postea nuncupata est Laodicea ad Libanum (Strabo, XVI, 2, 18; Plin. *H. N.* V, 23) seu Cabiosa (Ptol. V, 15), urbs aliquando celebris propter victoriam Ramses II contra Hethaeos; efformat deinde lacum Cades, alluit Emesam, Arethusam, Emath, Larissam, Apameam, urbes notissimas Syriae mediterraneae, et tandem attingens Antiochiam flectitur versus occasum et meridiem et in mare descendit.

Leontes = *nahr el-Litani*, contrario cursu descendit versus meridiem, usquedum, sub nomine *n. el-Qasimije*, vergit ad occasum solis et in mare Mediterraneum effunditur inter Tyrum et Hethalon = *Adlun*.

Ceteri Syriae fluvii notatu digni alii sunt mediterranei alii maris tributarii. Ad primam classem pertinent:

Melas = *Kara-su* et Ufremus = *n. Afrin*, qui ex pendicibus vel orientalibus Amani, vel australibus Tauri descendunt ad efformandum lacum Antiochiae et per istius emissarium Oronti commiscentur.

Sagura = *n. Sağur* qui ad Euphratem properat non longe a ruinis Pethor patriae Balaam prophetae (Nm 23, 5; Dt 23, 4 (hebr.)).

Chalus (Xenoph. *Anab.* I, 4, 9) = *Kuweik*, qui alluit Beroeam (2 Mc. 13, 4) et palude haud longe a Chalcide absorbetur.

Abana = *n. el-Barada*, Chrysorrhoas graecorum et Pharphar = *n. el-Auağ*, qui dicuntur " fluvii Damasci " (4 Rg. 5, 13) et quorum prior dividit Antilibanum a monte Hermon, et alter scaturiens ex latere orientali *g. esh-Shech* irrigat planitiem australem Damasci. Ambo vero disperduntur et absorbentur lacubus palustribus, qui sunt in plaga orientali Damasci.

Influunt e contra directe in mare Mediterraneum:

Sangura (?) = *n. el-Kebir* haud procul a Laodicea:

Badas = *n. es-Sinn*, quod nomen hodiernum a nonnullis cum Sinaeis (Gn 10, 17), populo Chananaeo, comparatur;

Eleutherus = *nahr el-Kebir*, qui dividit montem Bargylum a monte Libano, et in quem adfluit flumen a Flavio Ios. (*Bell. I.* VII, 5, 1) Sabbaticum dictum.

Bruttus = *n. el-Barid*, qui alluit Orthosiadem (1 Mc 15, 37), Adonis = *n. Ibraim*, Tamyras = *n. ed-Damur*, Lycus = *n. el-Kelb*, Bostrenus = *n. el-Awale*, Magoras = *n. Beirut*, Asclepius = *n. Senik*.

4. In Syria, iuxta sacras Litteras, praeter Aram Naharaim, seu, ut vulgo creditur, " Syria duorum fluminum ", quo nomine venit regio interiacens Euphratem et Tigrim, a graecis Mesopotamia dicta, recoluntur:

Aram Soba (2 Rg 8, 4, 12) regnum, quod videtur situm fuisse non longe ab Emath, in septentrionali plaga Damasci et inter Orontem et Euphratem.

Aram Damasci (2 Rg 8, 5, 6) praestantissimum regnum Aramaeorum, quocum reges Iuda et Israël frequentissime rem habuerunt.

Aram Rohob et Aram Bethmaacha (2 Rg 10, 6-14) duo regnicula in extremis partibus Palaestinae sita (cf. Nm 13, 22) et quorum reges in auxilium Ammonitarum acciti a Ioab duce Israelitarum profligati sunt.

A geographis vero graeco-romanis nonnulla distri ta seu circuli, quibus Syria dividebatur, (cf. Ptol. V, 15) commemorari solent, nempe:

Commagene in septentrionali parte contra Taurum, cuius caput fuit Samosata (Plin. *H. N.* V, 24) = *Samsat* ad Euphratem.

Cyrrhestica (Ptolom. V, 15), quae nomen a Cyrrho urbe accepit. Notum autem est territoria Cyrrhestices et Commagenes unita constituisse deinde provinciam Euphratensem vel Augustophratensem (Amm. Marc. XIV, 8, 7; Aurel. Vict. *Epit.* IX, 13).

Chalybonitis, Chalcidice, Apamene et Laodicene sic dictae ex nomine urbium praecipuarum, Chalybon seu Beroea, Chalcis, = *Kinnesrin*, Apamea et Laodicea scabiosa.

Palmyrene, regio desertica quae circa Palmyram metropolim et usque ad Euphratem extendebatur.

Coelesyria, quae nunc *el-Beqa'a* nuncupatur et " Libano definitur et Antilibano " (Strabo, XVI, 2, 21 et Ptol. V, 14, 18) et cuius caput fuit Heliopolis.

Abilene et Damascene ex nomine Abilae ad Chrysorrhoam et Damasci nuncupatae.

Ad occidentem autem Orontis commemorantur:

Cassiotis (Ptolem. *Geogr.* V, 15), regio nempe montana versus flumen, cuius caput erat Antiochia, illa nobilissima urbs quae tempore Seleucidarum et Romanorum facta est metropolis totius Orientis.

Seleucis ex nomine Seleucia Pieria dicta, regio scilicet quae secus litus maris extendebatur a Rhosico promontorio usque ad Phoeniciam.

Phoenice (2 Mc 3, 5, 8 etc.; Ac 11, 19; 15, 3 etc.) autem communiter sumpta regio erat, quae (Amm. M. XIV, 8, 9) " adclinis Libano monti " a promontorio Posidio, vel a Sangara flumine, vel ab Eleuthero usque ad Doram, sive Ioppem, sive, ut habet Strabo (XVI, 2, 21), " ab Orthosia usque ad Pelusium " extendebatur, et complectebatur in latitudine declivium maritimum montium, qui Syriae occidentalis partem praecipuam constituunt.

Chananaei et proprie Sidonii, Aradaei, Aracaei, Samaraei et fortasse Sinaei, iuxta Genesim (Gn 10, 18) incolae fuerunt Phoenices, singulorumque sedes homonymicae fuerunt Sidon magna (Gn 11, 8) metropolis Phoenices communiter appellata, Aradus (Ex 27, 8, 11), Arca et Symyra. Ad Phoeniciam spectabant praeterea Laodicea, Gabala, Balanaea, Paltos, Antaradus, Marathus, Orthosias, Tripolis, Calamus, Trieris (Polib. V, 68), Botrys, Gebal (3 Rg 5, 18), Apheca, Beritus, Sarepta (3 Rg 17, 9-24), Ornithopolis, Tyrus dicta " negotiatio (seu emporium) gentium " (Is 23, 3 — cf. Ez 27, 12-27), Ecdippus, Acco, Porphyrion, Dor et Ioppe.

Tandem p. Ch. n. Syria divisa invenitur in sequentes provincias:

Syria prima cuius metropolis fuit Antiochia, urbesque praestantiores Seleucia, Laodicea, Gabala, Beroea, Chalcis.

Syria secunda, cum metropoli Apamea: urbes autem praecipuas habens Epiphaniam (Emath), Arethusam, Larissam, Mariamnem, Balanaeam, Raphanaeam et Seleuciam ad Belum vel Seleucobelum (= Paltos (?)).

Phoenicia Prima cum Tyro metropoli et urbibus praecipuis Ptolemaide, Sidone, Berito, Byblo, Botrye, Tripoli, Arca, Orthosiade, Arado, Antarado, Caesarea Panaeade.

Phoenicia Secunda, seu ad Libanum habens caput Damascum, urbes autem principaliores Emesam, Laodiceam ad Libanum, Heliopolim, Abilam et Palmyram.

5. Habitatores Syriae, praeter Chananaeos et praesertim gentem Phoeniciam, " in magna gloria litterarum inventionis et siderum navaliumque ac bellicarum artium " (Plin. *N. H.* V, 12) fuerunt Hethaei, Aramaei et Ituraei.

Hethaei sedes suas praecipuas habuerunt in Syria septentrionali et mediterranea a mari magno ad Euphratem, et ab Emath usque ad Taurum montem, ideo terra Hethaeorum etiam in monumentis cuneiformibus regio illa appellatur. Scriptura s. non semel eorum regum recordatur (3 Rg 10, 29; 4 Rg 7, 6).

Aramaei, iuxta Amos (9, 7 hebr.) de Kir = Charran (?) oriundi, praeterquam in Mesopotamiam diffusi sunt in universam regionem citra Euphratem, praecipuamque sedem habuerunt, saltem saeculo VIII a. Ch., circa Damascum quae florentissimi eorum regni caput fuit.

Ituraei autem, qui aliquando videntur habitasse regiones ad orientem maris Mortui (cf. 1 Par 5, 19) et contermini fuisse cum Moabitis, iuxta Strabonem (XVI, 2, 10), facti sunt postea habitatores regionis, quae inter Libanum et Antilibanum extenditur, habueruntque urbem regiam Chalcidem ad Libanum. Inde eos se diffudisse in Trachonitidem et in eam regionem quae extenditur ad orientem Iordanis superioris et circa Paneadem et quae aliquando Gessur nunc autem *Gedur* vocatur, communis est opinio eique Strabo (XVI, 2, 20) suffragatur.

CAPUT IV.

PALAESTINA PHYSICA

1. LIMITES PALAESTINAE. — 2. REGIONES VARIAE. — 3. HYDROGRAPHIA : LACUS, FLUMINA, FONTES. 4. OROGRAPHIA. — 5. CLIMA. — 6. FLORA ET FAUNA PALAESTINENSIS.

1. Palaestina, sic ex regione Philistinorum vulgo dicta, in sacris Litteris nuncupatur " terra Hebraeorum " (Gn 40, 15) vel " Israël " (Jd 19, 29), " terra Domini " (Is 8, 8), " terra Deo carissima " (Sap 12, 7), " terra sancta " (Zc 2, 12), " terra repromissionis " (Heb 11, 9) etc., et est tractus Asiae anterioris, qui extenditur " a Sidone ad Gazam " (Gn 10, 19), " a Dan usque Bersabee " (1 Rg 3, 20), " ab introitu Emath usque ad torrentem Aegypti " (2 Par 7, 8) vel " ad mare solitudinis " (4 Rg 14, 25), " a torrente Arnon usque ad montem Hermon " (Js 12, 1) et a mari magno seu Mediterraneo usque Salecham (cf. Nm 34, 5, 6, 7; Dt 3, 8, 10; Js 13, 14): est igitur, iuxta recentiores, regio cuius latitudo attingit a 30º.55′ ad 33um.20′ gradum in hemisphaerio boreali, longitudo vero orientalis a Greenwich est inter 37um et 38um. 50′; superficies autem computatur ad 25124 km².

Igitur limites Palaestinae, quales describuntur Nm 34, 3-12; Ez 47, 13, 20 aliisque locis, sic enucleatius definiri possunt. Limes occidentalis est mare Mediterraneum seu ora maritima a torrente Aegypti = *w. el-ʿArish,* ad regionem Sidonis. Limes orientalis, iuxta Ezechielem, videtur linea recta, quae de termino territorii Damasci descendit meridiem versus dividens Auran et Galaad et attingens Arnon. Limes meridionalis, qui in Palaestina orientali est ipse torrens Arnon, in occidentali de extremitate australi maris Mortui per *w. el-Fiqre* et Ascensum Scorpionis venit in desertum Sin et Cades Barneam; unde per Adar et Asemonam pervenit ad torrentem Aegypti et mare magnum (cf. Js 15, 1-4). Limes tandem septentrionalis incipit a mari magno et per viam Hethalon = *Adlun* (?) venit Sedadam = *ch. Serada* in regione *merg ʿAijun* seu Rohob, in principio nempe vallis quae patet inter Hermon et Libanum et quae haberi potest veluti via Emath ad Orontem (cf. Nm 13, 22): transit deinde per Zefrona = *ch. es-Sambarije* ad *nahr el-Hasbani* et terminos Damasci attingit.

2. A septentrione ad meridiem, nempe a monte Hermon ad australes fines terrae, tota Palaestina distinguitur in tres regiones, maritima, montana et desertica. Haec interminabilis extenditur versus orientem et cum deserto arabico confunditur. Maritima est pars inferior orae orientalis maris Mediterranei, quae attingit a Cilicia usque ad Aegyptum et differt ab ipsius orae superiori parte, a litore scilicet phoenicio, quod est veluti successio continua portuum et ideo navigationi aptissimum, in eo quod recta vadit versus meridiem uniformis et sabulosa nullos habens portus naturales in refugium navium idoneos. Quo factum est ut mare non commerciis sed segregationi incolarum potius inserviret. Usibus tamen peculiaribus urbium et civitatum litoranearum, et piscationi magis quam negotiationibus, antiquitus aptati sunt opera et industria hominum portus nonnulli, veluti portus Acco, et recentior *Khaifa.* In *Geographia*

Strabonis (XVI, 2, 27, 28) et in Scripturis memoria est portus Caesareae maritimae, quem Herodes ingenti opere aedificavit et a quo Paulus Romam profectus est (Ac 27, 2); necnon portus Ioppe, ad quem ratibus adducta sunt ligna cedrina et abiegna de Libano excisa et templi Salomonici constructioni necessaria (2 Par 2, 14), et quo Ionas descendit ut fugeret in Tharsim a facie Domini (Jn 1, 3). Pariter vestigia portuum inveniuntur apud Dor = *Tantura*, Iamniam, Azotum, Ascalonem et Gazam. Tandem regio montana valle quadam intersecatur plus minusve profunda et impervia, eaque dividitur in duas partes, quae Cisiordanica et Transiordanica appellari solent ex flumine Iordane, quod in vallem defluit et a quo efformantur et aluntur tres

3. Lacus Palaestinae, nempe :

a) Semechonitis (I. Flavius, *B. I.* IV, 1, 1) fortasse " aquae Merom " (Js 11, 5, 7) = *bahr el-Hule*, cui circumstat terra quam Ulatham Flavius (*Ant. I.* XV, 10, 3) appellat. Habet 6 km. long. et 5 latit. et est valde paludinosus et harundinibus consitus.

b) " Mare Cenereth " (Nm 34, 1) sive " aqua Genesar " (1 Mc 11, 67), " stagnum Genezareth " (Lc 5, 1), " mare Galilaeae " (Mt 4, 18) vel " Tiberiadis " (Jo 6, 1) = *bahr Tabarija.* Est longum 21 km., latum 12 km. eiusque aequor sub aequore maris Mediterranei deprimitur m. 208. Est procellosum et piscibus abundans.

c) " Mare Mortuum " vel " mare solitudinis " (Js 3, 16), " mare salis " (Gn 14, 3) seu " salsissimum " (Nm 34, 3, 12), " mare deserti " (Dt 3, 17), " mare orientale " (Ez 47, 18) et ex copia bituminis et asphalti, quod ei quandoque supernatare videtur, " lacus Asphaltites " (*Bell. I.* VI, 8, 4) = *bahr Lut.* Longitudinem habet 76 km. et latitudinem maximam km. 15,7, et stat 394 m. subter aequor Mediterranei. Eius autem aqua est talis naturae tantaeque salsedinis et densitatis, ut pisces etiam marini in eo moriantur, ut littus circumstans omni vita careat utque corpora, quae in ceteris aquis demerguntur, veluti corpora hominum, in mari mortuo supernatent. Lacus emissario caret; aquae vero, quas illi continuo infundunt Iordanes ceterique adfluentes exhalatione perpetua, et ob nimium aestum copiosissima, absorbentur.

Flumina Palaestinae. Iordanis = *sheriat el-Kebire* est fluvius princeps totius regionis. Efformatur coalescentibus in unum *nahr Banijas, nahr el-Leddan, nahr el-Hasbani,* qui scaturiunt ex lateribus meridiano et occidentali montis Hermon. Nomen habet ex praerupto descensu, qui non modo ex sua origine ad lacum Tiberiadis, sed per totum cursum talis est ut navibus sit omnino impervius. Ab exitu ex lacu Tiberiadis usque ad mare Mortuum his praecipue adfluentibus augetur :

A) Ex latere sinistro :

a) Hieromix (Plin. *H. N.* V, 18) vel Iarmuk = *Sheriat el-Menadire,* qui aquas Gaulanitis inferioris et Bataneae colligit et vehit.

b) Carith torrens (3 Rg 17, 3, 5) (?) = *w. el-Jabis.*

c) *W. Ağlun* vel *Kefrengi.*

d) Iabboc = *nahr ez-Zerqa,* limes aliquando inter regna Sehon et Og (Nm 21, 24; Jd 11, 22) et postea inter Gad et Manasse orientalem (Dt 3, 16).

e) *W. Nimrin.*

f) *W. Hesban,* quae *w. Kefren* coniungitur et attingit infimum cursum Iordanis.

B) Ex latere vero dextero :

a) *Nahr Gialud,* qui a fonte Harad (Jd 7, 1) = *'ain Gialud* ortum praecipuum habet.

b) *W. Fara.*

c) Vallis Achor (Js 7, 24, 26) = *w. el-Kelt,* quae fuit terminus septentrionalis tribus Iuda.

Cum pontes, qui nunc ad transgrediendum flumen inserviunt, nempe *gisr Benat Iaqub, gisr Mugiamije* et *gisr esh-Sheriat* sint recentioris originis, cumque ii quoque, *gisr es-Semack* et *gisr Damije,* quorum ruinae extant vel quorum memoria est, non ante romanorum tempora ascendant, in sacris Litteris vadorum frequens est mentio (Js 2, 7; Jd 3, 28; 12, 5 etc.), eorumque praecipuorum locus est :

a) ad fauces lacus Tiberiadis;

b) contra Beshan, in loco qui Bethbera (Jd 7, 24) vel Bethabara (Jo 1, 28) seu " locus transitus " nuncupatur;

c) ad confluentiam Iabboc;

d) ad confluentiam *w. el-Kelt*;

e) in loco, qui *el-Henu* vocatur, nempe ad confluentiam *w. Hesban.*

Praeter Iordanem in mare Mortuum descendunt ab oriente :

a) *W. Zerqa Main,* iuxta quam est fons thermalis Callirrhoë = *hammam ez-Zerqa.*

b) Arnon = *seil el-Mogib* qui fuit terminus inter Israël (Dt 3, 8) et Moab (Nm 21, 13).

c) *W. el-Kerak.*

d) Aquae Nemrin (Is 15, 6) = *w. Numera.*

e) Torrens Zared (Nm 21, 12) fortasse unum et idem cum torrente Salicum (Is 15, 7) = *w. el-Hesa.*

Cetera Palaestinae flumina, ea nempe quae in Mediterraneum defluunt et alicuius momenti sunt, recensentur :

a) *Nahr el-Qasimije* qui limitem septentrionalem Palaestinae constituit.

b) Belus (Pl. *N. H.* V, 19) = *nahr Na'man.*

c) Cison (Jd 4, 7), aquae Mageddo (Jd 5, 19) = *nahr el-Muqatta.*

d) Fluvius Labanath (Js 19, 26), Crocodilon (Plinius, *H. N.* V, 19) = *nahr ez-Zerqa.*

e) *Nahr el-Mefgir.*

f) *Nahr Iskanderune.*

g) Meiarcon (?) (Js 19, 46) = *nahr el-Auge,* qui colligit aquas etiam " vallis arundineti " (Js 16, 8) = *w. Qana.*

h) *Nahr Rubin,* in quem influit *w. Sarar.*

i) *Nahr Sukrèr.*

l) *W. Ghaze*, in quam influit *w. She'i'a*, fortasse torrens Besor (1 Rg 30, 9, 10, 21).

Fontes. Generatim Palaestina fontium penuria laborat, ideoque incolis semper cordi fuit fodere puteos et cisternas, vel aedificare piscinas, ubi aquas pluviales vel ex soli absorptione stillantes colligerent et reservarent. Celebres sunt in s. Litteris piscinae Ierusalem (cf. Is 7, 3; 22, 9, 11 etc.), Gabaon (2 Rg 2, 13), Hebron (2 Rg 4, 12), Samariae (3 Rg 22, 38), Esebon (Cn 7, 4); necnon putei, quos foderunt Abraham et Isaac in Palaestina meridionali (Gn 26, 15-25), puteus Iacob (Jo 4, 11, 12), puteus Iuramenti seu Bersabee (Gn 21, 31, 32); pariter cisterna Sira (2 Rg 3, 26), cisterna Bethlehem (1 Par 11, 18) etc. Sunt tamen fontes nonnulli, et, praeter illos qui fluviorum sunt initium, intra fines Palaestinae in ss. Litteris memorantur:

a) Fons Solis (Js 18, 17) = *'ain el-Haud* non longe a Bethania.

b) Aenon iuxta Salim (Jo 3, 23) = *umm el-Omdan*, vel fontes in *w. Fara*.

c) Fons Rogel (Js 15, 7) = *bir Eijub* prope Ierusalem.

d) Fons aquarum Gihon (2 Par 32, 30) = *'ain umm ed-Dereğ*.

e) Fons aquae Nephtoa (Js 15, 9) = *'ain Lifta*.

f) Fons Taphuae (Js 17, 7) in finibus Ephraim et Manasse.

g) Fons qui erat in Iezraël (1 Rg 29, 1) = *'ain el-Maithe*.

h) Fons Ierichuntis (4 Rg 2, 19-22) = *'ain es-Sultan*.

i) *'Ain Dirwe*, ad quam, iuxta Eusebium (*Onom*. ad v. Bethsur), fama est Philippum baptizasse Eunuchum Candacis reginae (cf. Ac 8, 26, 38).

Notatu digni sunt etiam fontes calidi (58o-C.) Callirrhoë (*Ant. I*. XVII, 6, 5) = *hammam ez-Zerqa*, Engaddi (27o-C.) et *el-Hammi* (49o-C.), qui haud procul a lacu Tiberiadis cum aquis Iarmuk suas commiscet. Praeterea *'ain Urtas*, cuius aquas Herodes adduxisse videtur usque Herodium; et praesertim fontes Etham = *ras el-'ain* vel *'ain Sale*, qui alit piscinas Salomonis = *el-Burak*, et cuius aquaeductus aquas templo Ierosolymitano suppeditabat. Ad augendam autem copiam aquarum in usum urbis sanctae et templi, progressu temporis immissae sunt in *ras el-'ain* etiam aquae *'ain Mŏghareth*, et *'ain Arrub*. Has Pilatus per aquaeductum bis centum stadia longum Ierusalem usque deducendas curavit (*Ant. I*. XVIII, 3, 2).

4. Montes. Cum orientalis tum occidentalis Palaestina, si tantummodo excipias huc illuc campos quosdam, et oram maritimam, secus quam extenduntur plus minusve latae planities, inter quas notatu dignae sunt Saron (1 Par 27, 29) et Sephela (1 Mc 12, 38), est regio montuosa, cuius descensus in vallem medianam sunt praerupti, planiores autem versus mare, planissimi ad orientem contra desertum.

In Cisiordanica distinguntur:

a) montes Galilaeae, quorum pars orientalis nominantur montes Nephthali (Js 20, 7).

b) montes Samariae (Am 3, 9) seu montes Ephraim (Js 17, 15).

c) montes Iuda (Js 11, 21) vel montana Iudaeae (Lc 1, 65).

Montes Galilaeae extenduntur a *merg 'Aijun* ad planitiem magnam (1 Mc 12, 49) Esdrelon, quae interposita est inter montes Galilaeae et Samariae. Cacumina praecipua Galilaeae sunt *g. Germaq* (m. 1119), non longe ab urbe Safed quae est urbs sancta hebraeorum, et *g. el-Arus* (1073 m.). Notandum praeterea est *ras el-Abiad* promontorium album, quod protenditur in mare et in cuius latere incisae sunt scalae Tyriorum (*Bell. Iud*. II, 10, 2).

In Galilea autem inferiori sunt *g. Turan* (541 m.), mons beatitudinum (cf. Mt 5, 1 et ss.) = *qurn Hattin* (m. 316) et celeberrimus omnium Thabor (Jd 4, 6) = *g. et-Tor* (565 m.), quem veneranda traditio designat tanquam montem transfigurationis D. N. I. C. Carmelus = *g. Mar Elias et nebi Dahi* (m. 515) dictus etiam " Parvus Hermon ", qui tamen veluti propago montis Gelboë, ad Samariam saltem ex parte spectare videtur.

Montes Samariae initium habent a montibus Gelboë (2 Rg 1, 21) = *g. Foqua*, quorum altissimus vertex est *Sheck Barkan* (518 m.), et perveniunt usque ad *Nebi Samuil* (m. 895), interpositis planitiebus *sahel Arrabe, merg el-gharaq, el-Mahna, el-Lubban* etc. Altissimum cacumen est Baal Asor (2 Rg 13, 23) = *tell Asur* (m. 1011). Celeberrimi vero sunt montes Garizim (Dt 27, 12; Jo 4, 20) = *g. et-Turr* (m. 868) et Ebal = *g. Eslamije* (m. 988) " montes scilicet benedictionum et maledictionum " (cf. Js 8, 33).

Montes tandem Iuda extenduntur usque ad fines australes Palaestinae. Cacumen summum est *Sirat el-Bella* (m. 1027) inter Hebron et Halul. Celebres autem sunt mons Olivarum (Zc 14, 4) seu Oliveti (Mt 21, 1) = *g. et-Tur* (m. 818), Herodion (*Ant. I*. XV, 9, 4) = *g. el-Furèdis* (m. 759) et Quarantana (cf. Mt 4, 1 seqq.) = *g. Qarantal* (m. 98). In orientali autem plaga montium Iudaeae extenditur desertum Iuda, cuius partes praecipuae sunt Iesimon (1 Rg 23, 19) et solitudines Ziph, Maon, (1 Rg 23, 15, 24), Engaddi (1 Rg 24, 2), et Tecuae (2 Par 20, 20). Ibi est specus profundissimus s. Caritonis, qui spelunca Odollam (2 Rg 23, 13) a nonnullis reputatur. Non longe a Ierusalem est vallis Raphaim (2 Rg 5, 18) = *el-Buqeia*.

Regio transiordanica est, a monte Hermon ad Arnon, continuus tractus montanus frequenter intersectus torrentibus et fluminibus valles plerumque profundissimas occupantibus.

Pars septentrionalis, a monte Hermon ad Iarmuk, Gaulanitidem (*Ant. G*. IV, 5, 3) = *el-Giolan* constituit et est regio vulcanica, in qua tumulorum instar colles eminent. Praecipuus

inter hos est *tell esh-Sheba* altitudinem habens 1294 m. Ad orientem autem Gaulanitidis extenditur Batanea (*Ant. G.* XV, 10, 1) = *en-Nuqra*, Trachonitis (Lc 3, 1) = *el-Legia* et Auranitis (*Ant. G.* XV, 10, 1) = *Hauran*, cuius partem montanam Scriptura (Ps 67, 15) Selmon, Ptolemeus (V, 15) Asalmanum vocat.

Inter Iarmuk et *w. Hesban* extenditur Galaad, quam regionem Iabboc torrens in duas partes dividit (Js 12, 2). Septentrionali hodie nomen est *Aǵlun*; meridionalis pertinet ad regionem quae *el-Belka* dicitur. Summi montes sunt *G. Osha* (m. 1096) et *esh-Shemsani* (m. 1052), qui non longe ab *Amman* adsurgit.

Ad meridiem Galaad extenditur Moab, in cuius parte australi, ultra Arnon = *seil el-Mogib*, in regione nempe extra fines Palaestinae proprie dictae, eminent *Qarat Shihan* (m. 1058) et in meridie *Giafar* (m. 1200), *Dat Ras* (m. 1150) etc.; citra Arnon vero Eleale (Nm 32, 3) = *ch. el 'Al* (m. 934) et montes Abarim (Nm 27, 12) quorum summi sunt Nebo (Dt 32, 49) = *en-Neba* (m. 806); Phasga (Nm 21, 20) = *Sciagha* (m. 698); Baal Maon (Nm 32, 38) = *Main* (m. 861); Machaerus (*Ant. I.* XIII, 16, 3) = *ch. el-Mukawer* (m. 739).

5. Clima. In Palaestina duae potissimum anni tempestates distinguuntur, aestas, a mense Maio ad Octobrem et est periodus serenitatis et siccitatis (cf. 1 Rg 12, 17; Pro 26, 1), et hiems, a Novembre ad Aprilem et est periodus imbrium et pluviarum. Pluviae autem maioris momenti et quae magis ad agriculturam conferunt sunt temporaneae et serotinae (cf. Dt 11, 14; Jr 5, 24). Priores habentur mense Octobre ad finem vergente, alterae mensibus Martio et Aprili. Nix in montibus fere quotannis cadit, at plerumque post paucas horas funditur. Quantitas media aquae pluvialis in anno est Ierosolymis 660 mm. Minor est in Saron et iuxta Tiberiadem.

Prognosticum temporis ipse insinuat Dominus dicens: " Facto vespere dicitis: Serenum erit; rubicundum est enim caelum; et mane: Hodie tempestas; rutilat enim triste caelum " (Mt 16, 2, 3). Pariter " nubem orientem ab occasu.... nimbus sequitur " (Lc 12, 54 — cf. 3 Rg. 19, 43, 44); austrum vero vel etiam eurum flantia aestum apportant (cf. Lc 12, 55).

Temperies alia est in planitie maritima, alia in regione montana, alia denique in depressione Iordanis. Media annualis in montana est 17° C., ad mare 22° C., in planitie Ierichuntina 25° C. Ibi mense Iulio calores ascendunt etiam in umbra ad 50° C.; ibique messis tritici uno ante mense fit, quam quae in montana locum habet. Messis vero hordei, quae in montibus primis Mai diebus fieri solet, in planitie Hiericontina iam Martio ad finem vergente locum habet. In deserto orientali, veluti in planitie Mesopotamica (cf. Gn 31, 40) inaequalitas aëris nocturnae et diurnae est maxima.

6. Flora et fauna. Silvae, quae aliquando frequentiores erant, iam non extant nisi in Galaad, in Gaulanitide, in Galilaea, in monte Carmelo et certis locis in Saron. Ibi crescunt praesertim quercus, terebinthus, pistacia, pinus, cupressus, ceratonia siliqua etc.; secus cursus aquarum habentur platanus, populus euphratensis, oleander, laurus nobilis; in deserto autem tamarix mannifera, acacia, retama, sizyphus. Ad arbusta pariter referuntur balsamodendron, *zaqqun*, fortasse myrabolanum antiquorum, solanum sodomeum, quod malum Sodomae etiam vocatur, et anastatica hiericontina, vulgo rosa Iericho appellata.

Ex arboribus fructiferis frequentissime occurrunt oliva, malogranatus seu malus punicus, ficus, ficus sycomorus, amygdalus, prunus, vitis; in ora maritima citrus aurata, citrus medica, palma phoenix, ficus indica etc.

In agris coluntur hordeum et triticum, quae praesertim in Saron, in planitie Philistinorum, in Esdrelon et trans Iordanem revera fructum trigesimum, sexagesimum et centesimum praebent. Seritur etiam sorghum et mais. Inter legumina excellunt fabae, ceci, lentes, cepae etc.

Ex floribus, qui, hieme ad finem vergente, campos adornant memoratu digni sunt anemon quem Scriptura vocat lilium convallium (Cn 2, 1), ranunculus, rosa, narcissus, crocus, tulipa, iris etc.

Animalia domestica frequentiora sunt bos taurus, bos bubalus secus lacum *el-Hule*, equus, asinus, camelus dromedarius, ovis laticaudata, capra hircus, canis, qui tamen est vagabundus. Bestiae ferae praecipuae sunt canis aureus, vulpis, lupus, hyaena, sus ferus. Pardus est rarus, rarissimus ursus, extinctus penitus leo. Frequentes sunt gazella arabica et dorcas, circa mare Mortuum ibex sinaitica, ubique lepus, ericius, hystrix, perdix, coturnix, columba, turtur, ciconia, pelecanus; aquila, vultur, milvus, accipiter, falco, passeres etc.; locustae, apes silvestres etc.

CAPUT V.

PALAESTINA TEMPORE PATRIARCHARUM ET REGUM

1. DE PRISCIS HABITATORIBUS. — 2. DIVISIO PALAESTINAE INTER 12 TRIBUS ISRAEL. 3. DE CETERIS PALAESTINAE DIVISIONIBUS.

1. DE PRISCIS HABITATORIBUS. — Inter antiquissimos Palaestinae habitatores, quorum memoria est, notatu digni sunt Raphaim, Zuzim vel Zonsummim, Emin et Enacim, qui dicuntur " de stirpe gigantum " et erant proceritate corporis et fortitudine conspicui.

Enacim sedes habebant circa Hebron (Nm 13, 12) et in civitatibus Gaza, Geth et Azoto (Js 11, 21, 22; 14, 12, 15; Jd 1, 20 etc.), tantaque potentia et virtute pollebant ut exploratores terrae promissionis eorum terrore perculsi existimarent contra tales defensores impossibilem esse Palaestinae occupationem et ab ea filios Israël averterent (Nm 13, 23, 29, 34).

Ceteri quos, Chodorlahomor in Astaroth Carnaim et in Save Cariathaim debellavit (Gn 14, 5), si excipias Raphaim, quorum coloniae diffusae videntur non longe a Ierusalem (cf. Js 15, 8), in territorio Philistinorum, praesertim in Geth (cf. 2 Rg 21, 22), et in regione quae postea fuit filiorum Ephraim (Js 17, 15), versati sunt in Palaestina transiordanica, Raphaim in Basan, Zuzim et Emin in territorio quod, post eorum exterminationem, in possessionem venit Ammonitarum et Moabitarum (Dt 2, 10, 20 seqq.).

Palaestina tamen erat et fuit praecipuum Chananaeorum domicilium, ideoque et " terra Chanaan " frequenter nuncupata est (Gn 11, 31 etc.).

Chananaei autem in varias distinguebantur familias (Gn 10, 15-18), quarum septem obtinuerunt regionem a Sidone usque Gomorrham et appellati sunt Hethaei, Gergesaei, Amorrhaei, Chananaei, Pherezaei, Hevaei et Iebusaei.

Chananaei, artiori acceptione nuncupati, morabantur " iuxta mare et circa fluenta Iordanis " (Nm 13, 30) necnon " in vallibus " (Nm 14, 29).

Amorrhaei cum Hethaeis et Iebusaeis habitabant in montanis (Nm 13, 30), ideoque tractus montuosus Palaestinae meridionalis aliquando " mons Amorrhaeorum " (Dt 1, 7) vocatur. Sedes autem peculiares habuerunt in Asason Thamar " quae est Engaddi " (Gn 14, 7 - cf. 2 Par 20, 2), prope Sichem (Gn 48, 22), in Hebron (Gn 13, 18), Ierimoth, Lachis, Eglon et Ierusalem (Js 10, 5), imo in planitie ipsa, circa Accaron et Ioppe (cf. Jd 1, 36). Praecipua tamen eorum possessio fuit terra transiordanica, nempe a torrente Arnon ad montem Hermon, ubi constituta sunt duo regna inter se per torrentem Iabboc divisa: regnum meridionale, cuius caput fuit Esebon (Nm 20, 33), habuitque regem Sehon, et regnum aquilonare, cuius urbs regia fuit Astharot (Js 9, 10), et sub dominatione fuit Og regis Basan.

Hethaei, quorum terra originis extendebatur quidem " a fluvio magno Euphrate ad mare magnum " (cf. Js 1, 4) et ab urbe Hemath usque ad montem Taurum, in Palaestina versati esse dicuntur circa Hebron (Gn 25, 9-10; Nm 13, 30; Js 11, 3).

Hevaei, diversi ab iis qui planitiem maritimam meridionalem habitaverant et a Philistaeis expulsi sunt (Dt 2, 23), sedes obtinuerant in Gabaon (Js 9, 7) et in Sichem (Gn 34, 2), sed, ut videtur, primarium domicilium habuerunt " ad radices Hermon in terra Maspha " (Js 11, 3 - cf. Jd 3, 3; 2 Rg 24, 7).

Iebusaeorum praecipua sedes erat Iebus " quae altero nomine vocatur Ierusalem " (Jd 19, 10), in finibus Iuda et Beniamin posita (Js 18, 16, 18).

Gergesaei, quorum sedes accuratius determinari nequit, nonnullis videntur nomen dedisse Gergesae, urbi trans Tiberiadis lacum positae (cf. Lc 8, 26, 37).

Pherezaeos habitasse Bethel (Gn 13, 7) regionemque Sichemis conterminam (Gn 34, 30; Js 17, 18) necnon planitiem " in qua sitae sunt Bethsan cum viculis suis et Iezraël mediam possidens vallem " (cf. Js 17, 14-16) Scriptura sacra tradit.

Praeter Chananaeos, quos Dominus extirpandos et delendos iusserat (Dt 7, 1, 2; 20, 17 etc.), inter Palaestinae habitatores cum citra tum ultra Iordanem recensentur etiam:

Moabitae et Ammonitae, contra quos populus Dei prohibitus est arma inferre vel quomodocumque bellum inire (Dt 2, 9, 19). Versabantur autem vel in meridiem Arnon, vel iuxta Rabbath Ammon urbem Ammonitarum regiam.

Cedmonaei (Gn 15, 19), qui vel a Cedma Ismaëlis filio (Gn 25, 15), vel a regione Qdma nomen acceperant sita ad orientem maris Mortui, de qua mentio est in monumentis aegyptiacis.

Agareni, ab Ismaëlitis diversi, qui a sedibus suis ad orientem Galaad a Ruben primo (1 Par

5, 10) deinde a Ruben, Gad et Manasse deturbati sunt, profligati et omnibus suis possessionibus spoliati (1 Par 5, 19-22).

Horrhaei qui videntur habitasse aliquando in Sephela (cf. Dt 2, 23), habuerunt tamen primarias sedes in montibus Seir, ubi exterminati sunt a filiis Edom (Dt 2, 12, 22).

Amalecitae, qui habitabant in meridiem (Nm 13, 30) Palaestinae usque ad fines Aegypti (1 Rg 27, 8), non secus ac Chananaei, delendi omnino fuerunt (cf. Dt 25, 19; 1 Rg 15, 3) et a Davide reapse deleti sunt (1 Rg 30, 17; 2 Rg 8, 12).

Cinaei, qui vel de gente Madianita erant, vel cum Madianitis foedere coniuncti (cf. Gn 15, 19; Jd 1, 16; 4, 11).

Cenezaei (Gn 15, 19), de quorum stirpe fuisse Caleb nonnulli credunt (cf. Js 15, 17).

Philistaei, qui de Caphtor, videlicet, iuxta plures, de Creta insula oriundi, oram maritimam australem occupaverunt; deletis pristinis habitatoribus, ibique quinque satrapias vel toparchias constituerunt, quae dominatae sunt in Sephela et in Negeb, et quarum caput fuerunt Gaza, Ascalon, Geth, Azotus et Accaron (1 Rg 6, 17; Js 13, 3 etc.).

2. Divisio Palaestinae inter duodecim tribus Israel. — Transgressi torrentem Arnon et devictis regibus Amorrhaeorum, nempe Sehon rege Esebon in pugna apud Iasam (Nm 21, 21-25) et Og rege Astaroth in proelio, quod certatum est prope Edrai (Nm 21, 33), Moyses partitus est regionem transiordanicam inter tribus Ruben, Gad et dimidiam tribum Manasse, quae, cum pecoribus abundarent ac vitam pastoriciam colerent, regionem illam uberrimam et ad pascua gregum et armentorum aptissimam sibi postulaverant.

Itaque filiis Ruben data est pars meridionalis, quae nempe a torrente Arnon usque ad *wadi Hesban*, et a mari Mortuo et extrema parte Iordanis usque ad desertum syriacum = *el-Hamad* extenditur (Nm 32, 34-38; Js 13, 15-23).

Gad obtinuit terram ab Hesebon usque Mahanaim (Gn 32, 2, 22) et vallem " Iordanis usque ad extremam partem maris Cenereth " (Js 13, 24-28).

Manasse demum data est reliqua terra usque ad montem Hermon, universus scilicet Basan usque ad Hauran et septentrionalis pars Galaad, necnon circulus oppidorum Havoth Iair (Js 13, 29-31).

Tunc, occupata etiam regione cisiordanica, et debellatis regibus, qui in ea erant, Iosue cum Eleazaro accessit ad divisionem terrae et ad designationem territoriorum, quae in possessionem reliquarum tribuum, earum nempe quae suam partem nondum acceperant, cedere debebant.

Filii Iuda obtinuerunt totam regionem meridianam, a Ierusalem usque ad terminum australem Palaestinae (Js 15, 5-12) eiusque urbes distributae erant in meridie (ib. 20-32), in campestribus (33-47), in monte (48-60) et in deserto (61-62).

Filii Issachar, Zabulon, Aser et Nephthali regionem septentrionalem habuere; nempe Issachar obtinuit partem in planitie Esdrelon (Js 19, 17-23); Zabulon habuit eam regionem, quae postea fuit pars potissima Galilaeae inferioris (ib. 10-16), Aser et Nephthali reliquam regionem, ita tamen ut Aser obtinuerit partem quae respicit mare Mediterraneum (Js 19, 24-31); Nephthali vero pars quae est contra Iordanem et lacum Tiberiadis (Js 19, 32-39), addito insuper, ut creditur, pago commutatorio sito inter montem Tabor, lacum Tiberiadis et Iordanem undique circumscripto a territorio tribus Zabulon.

Filiis Beniamin (Js 18, 12-28), Ephraim (Js 16, 1-9) et Manasse occidentalis (Js 17, 7-11) reliqua terra tradita est, regio nempe quae mediam Palaestinam occupat.

Dan autem possedit tractum qui est in septentrionali parte terrae Philistinorum ad occidentem Iuda, Beniamin et Ephraim (Js 19, 40-46). Huic territorio, conspicuo quidem soli fertilitate sed minimo superficie, accesserunt postea urbes Hirsemes et Esthaol, iam pridem adsignatae filiis Iuda (cf. Js 15, 10, 33; 19, 40), et urbs Ioppe, quae in territorio Ephraimitico fortasse erat posita.

Pariter filiis Simeon segregatae sunt in parte meridiana tribus Iuda 17 vel 18 urbes cum villis earum (Js 19, 1-8; 1 Par 4, 28-33).

Demum " urbes separatae sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse " (Js 16, 9) et e converso Manasses obtinuit urbem Doram sitam in territorio Aser, necnon Bethsan, Ieblaam, Endor, Thenac et Mageddo cum viculis suis ex territorio Issachar (Js 17, 11). Aliunde Dan, angustioribus finibus compressus et artatus in monte ab Amorrhaeis (Jd 1, 34), ascendit in extremam Palaestinam aquilonarem ad radices montis Hermon et pugnans contra Lesem cepit eam nomenque eius vocavit Dan (Js 19, 47).

Sola ex tribubus Israël tribus Levi non habuit proprium territorium, sed dispersa est inter omnes tribus (cf. Gn 49, 7), ex quarum possessionibus adsignatae sunt Levitis urbes 48 ad habitandum et suburbana earum ad alenda iumenta. Et quia ex filiis Levi, Gerson nempe, Caath, et Merari, tres ortae erant familiae principaliores, secundum has familias distributae sunt urbes leviticae. Itaque filiis Caath ex stirpe Aaron, scilicet iis qui sacerdotio fungebantur, attributae sunt de tribubus Iuda, Simeon et Beniamin tredecim civitates, quae ideo vocatae sunt urbes sacerdotales; reliquis filiis Caath, qui non sacerdotio sed minoribus, id est leviticis ministeriis addicti erant, datae sunt 10 civitates de tribubus Ephraim, Dan et de dimidia tribu Manasse occidentalis. Filiis Gerson adsignatae sunt tredecim civitates de tribubus Issachar, Aser, Nephthali et Manasse

trans Iordanem. Filiis denique Merari duodecim urbes datae sunt de tribubus Ruben, Gad et Zabulon (Js 21, 1-8).

Ex hisce civitatibus leviticis autem separatae sunt sex urbes refugii seu fugitivorum, quarum tres, Cedes in Galilaea montis Nephthali, Sichem in monte Ephraim et Hebron in monte Iuda, erant citra Iordanem; reliquae vero, Bosor de tribu Ruben, Ramoth in Galaad de tribu Gad, et Gaulon in Basan de tribu Manasse, erant in Palaestina orientali (Js 20, 1-8).

Denique Iosue filio Nun data est in possessionem Thamnath Saraa in monte Ephraim (Js 19, 49-50), ibique habitavit.

3. De ceteris Palaestinae divisionibus. — Etsi divisio totius Israël in tribus ratione ethnographica diu permansit et a principibus tribuum (cf. Nm 1, 44 sqq.), lege haereditaria (cf. Nm 36, 2) et tabulis genealogicis (cf. 1 Es 2, 62) sedulo custodita est, non modo post constitutum regnum, sed etiam tempore exsilii (Tb 1, 9; Est 2, 5; 1 Es 8, 1), imo temporibus quoque Christi (Lc 2, 36; Mt 19, 28) et Apostolorum (Rm 11, 1; Ap 7, 5 etc.); ratione topographica sensim obsolevit, sive quia, regnante David, limites Palaestinae dilatati sunt, (cf. 2 Rg 8, 3 etc.) sive praesertim quia, Salomone et Roboamo regibus, aliae divisiones invaluerunt, quae vel administrationi rei publicae et solutioni tributorum magis conferrent et satisfacerent, vel conditioni politicae satius responderent.

Iamvero Salomon rex ita ordinavit regnum suum ut totum in duodecim divideretur regiones a totidem praefectis gubernandas, ita ut singulae singulis mensibus quae necessaria erant pro aula regia suppeditarent (3 Rg 4, 7-19). Regionum, in quas tunc divisa est terra, verisimiliter tales sunt ambitus:

1. Mons Ephraim.
2. Regio ad occidentem Iuda et Beniamin, circa Bethsames.
3. Occidentalis pars tribus Iuda versus Sephelam.
4. Saron a Carmelo ad Ioppem.
5. Planities Esdrelon usque Bethsan et vicinia eius.
6. Galaad orientalis sive trans sive citra Iabboc.
7. Galaad occidentalis, ea scilicet pars quae valli Iordanis propinquior est et imminet.
8. Terra Nephthali.
9. Terra Aser.
10. Territorii Issachar pars septentrionalis.
11. Reliquiae territorii Gad meridionalis una cum terra Ruben.
12. Terra Beniamin.

Tempore autem Roboami factum est schisma et decem tribus ab eius subiectione recesserunt, electo sibi rege Ieroboamo. Hinc divisio longe maioris momenti invecta est in regnum Iuda et regnum Israël (cf. 3 Rg 12, 1 sqq.).

Regnum Israël, regnum etiam Ephraim vel Samariae (cf. Os 10, 7) appellatum, cuius termini frequenter insinuantur verbis "a Bethel ad Dan" (3 Rg 12, 29; 4 Rg. 10, 29), praeter mediam et septentrionalem Palaestinam cisiordanicam, possidebat ultra Iordanem terram quae a Syria Damasci extendebatur usque ad Moab. Moab ipse a temporibus David (2 Rg 8, 2) regibus Israël subiectus vel tributarius erat (cf. 4 Rg 3, 4-7).

Regni Israël urbes regiae fuerunt tempore Ieroboami I, Sichem (3 Rg 12, 25) et Thersa (3 Rg 14, 17); regnante vero Amri, Samaria (3 Rg 16, 23), quam Achab cum Iezraël commutavit (3 Rg 18, 45).

Regnum meridionale seu Iuda, cuius caput fuit Ierusalem, possedit praeter territorium Iuda et Simeon urbes plurimas in territorio Beniamin et Dan, nempe in Beniamin totam plagam meridianam (2 Par 11, 10), in Dan autem saltem civitates Saraa et Aialon, quae a Roboamo munitae dicuntur (2 Par 11, 10). E converso in Sephela et usque ad mare dominati sunt Philistaei. Praeterea, saltem usque ad Ioram regem (cf. 4 Rg 8, 20), possedit etiam Idumaeam seu montes Seir vel Edom, totam scilicet regionem montanam quae a mari Mortuo extenditur usque ad sinum Aelaniticum et cuius civitates praecipuae fuerunt Petra seu Sela aut Iechtehel (4 Rg 14, 7), Phunon (Nm 33, 42) ubi erant metallorum fodinae; Bosra (Gn 36, 33; Is 34, 6 etc.), Thophel (Dt 1, 1) et, iuxta mare, Aelath et Asiongaber (Dt 2, 8), ex quarum portubus Solomonis classes proficiscebantur ut in Ophir navigarent (3 Rg 9, 26-28).

Fines inter duo regna, quae in regione orientali erant fines Moab et Edom, seu, ut videtur (cf. Am 6, 14), torrens Zared; in regione occidentali, propter frequentes lites et bella inter Iuda et Israël, valde disputati sunt et varii fuerunt, urbesque finitimae, veluti, Rama. Maspha, Geba (3 Rg 15, 16-22), imo ipsa Bethel, Iesana et Ephron (2 Par 13, 19; 15, 8) quandoque ab unius regis in alterius dominium transierunt.

Tandem, corruentibus regnis Israël (an. 722 a. Ch.) et Iuda (a. 588 a. Ch.), invaluit et obtinuit nova divisio Palaestinae in Iudaeam, Samariam, Galilaeam et Peraeam eaque perseveravit etiam temporibus Christi et Apostolorum.

CAPUT VI.

PALAESTINA NOVI TESTAMENTI

1. PRAENOTANDA QUAEDAM. — 2. TETRARCHIAE ARCHELAI ET IUDAEAE PROCURATORUM ROMANORUM TERRITORIA. — 3. TETRARCHIA HERODIS ANTIPAE. — 4. TETRARCHIA PHILIPPI. — 5. DECAPOLIS ET CIVITATES AUTONOMAE.

1. Primo ineunte saeculo post Christum natum, Palaestina, nempe regio quae, iuxta Scripturam, a torrente Aegypti ad introitum Emath, a Dan usque Bersabeam, a monte Hermon ad torrentem Arnon extenditur, plures provincias complectebatur indole et genio gentium, a quibus colebantur, diversas et varias. Nominantur Idumaea et Daroma cum qua plerumque coincidere videtur, Iudaea, ora maritima seu litus maris ab urbe Raphia ad Dor, Samaria, Galilaea, Phoenicia meridionalis, Peraea, Ulatha et Panea, quae Ituraeam australem constituebant, Gaulanitis, Batanaea, Trachonitis et Auranitis, in quas regnum Basan dilapsum est, et Decapolis; quae quidem exceptis tamen Decapoli et Phoenicê, etsi paucis ante annis unitatem politicam constituerent, iam in parvos principatus distributae erant.

Iamvero Herodes M. moriens (an. 4 a. Ch.) haeredes suos nuncupaverat filios Archelaum, Herodem Antipam et Philippum, sororemque Salomen. Huic possessionem tradidit urbium Phasaëlis et Archelaidis in valle Iordanis, Azoti et Iamniae in litore maris; Archelaum constituit regem in Idumaeam, Iudaeam et Samariam; Antipae dedit Galilaeam et Peraeam; Philippo vero Ituraeam, et Trachonitidem annexasque provincias. Urbes autem Gaza et Raphia cum Phoenicia et provincia Syriae proconsulari, Hippus vero et Gadara cum Decapoli a Romanis iunctae sunt. Anno vero decimo principatus sui et sexto p. Ch. n. Archelaus criminatus tyrannidis et crudelitatis in subditos exsilio damnatus est, provinciamque ipsius procuratores romani gubernandam susceperunt, eamque, brevissimo excepto tempore, ab anno nempe 41 ad 44, quo Agrippa I regnavit in Palaestinam universam, tenuerunt usque ad annum 70, quando scilicet post iudaicam insurrectionem Iudaea a Syria proconsulari independens provincia nuncupata Provincia Syria Palaestina creata est, et legatis propraetoribus gubernanda tradita.

Hic igitur agendum est de tetrarchiis filiorum Herodis ceterisque principatibus, inter quos discreta est Palaestina tempore Christi et Apostolorum.

2. TETRARCHIAM ARCHELAI constituebant Idumaea, Iudaea et Samaria.

IDUMAEA quae in veteri Testamento unum et idem esse videtur cum montibus Seir, qui a mare Mortuo ad sinum Aelaniticum extenduntur, in novo Testamento vel latius extenditur vel potius regionem aliam designat. Videntur enim tempore exsilii Idumaei pressi et coartati a Nabataeis occupasse Palaestinam australem ipsamque Amalecitarum regionem (cf. *Ant. I.* II, 1, 2) suosque extendisse fines usque Masadam (*Bell. I.* II, 22, 2), Hebron (ib. IV, 9, 7), Alulam = *Halul* (ib. IV, 9, 6), Bethsuram (*Ant. I.* XII, 9, 4), Maresam (*Bell. I.* I, 2, 6), Gazam (*Ant. I.* XV, 7, 9), Ascalon (ib. V, 1, 22). Tandem a Iohanne Hyrcano subiecti, ne patriam amitterent, circumcisionem, leges et mores Iudaeorum susceperunt (*Ant. I.* XIII, 9, 1), tantamque in rem publicam Hebraeorum auctoritatem adepti sunt, ut Antipater Idumaeus a Caesare crearetur totius Iudaeae procurator eiusque filius Herodes in universam Palaestinam post ipsius mortem regnaret.

IUDAEA igitur, prout hic sumitur, non est provincia quae complectitur meridionalem partem Palaestinae cisiordanicae, de qua etiam Ios. Flavius (*Bell. I.* III, 3, 1-5) loquitur, sed regio inter Samariam et Idumaeam et cuius urbes in extremo meridie videntur fuisse Engaddi, Thecoa Bethletepha, Azotus, Iamnia, etc. (cf. *Bell. I.* III, 3, 5; IV, 9, 5; 8, 1; 3, 3; *Ant. I.* XII, 7, 4). Ipsius autem fines septentrionales, qui iuxta Talmud (Neubauer, *Géogr. du Talmud*, pagg. 57, 73, 86) comprehendebant Antipatridem, secundum Iosephum extendebantur usque ad Coraeam, Acrabattam et Anuath Borcaeum (cf. *Bell. I.* I, 6, 5; II, 12, 4; III, 3, 5).

Iudaea hoc eodem tempore divisa est, testibus Plinio (*Hist. N.* V, 14, 70) et Iosepho (*Bell. I.* III, 3, 5), in toparchias undecim, quarum haec sunt nomina: Ierusalem (= Orine), Gophna. Acrabatta, Thamnata, Lydda, Ammaus, Pella. seu potius, iuxta Iosephum, Bethletepha, Idumaea, Engaddi, Herodion, Iericho.

SAMARIA, ex nomine urbis regiae regni Israël appellata, est provincia media inter Iudaeam et

Galilaeam. Extendebatur autem usque ad Gineam, quae dicitur " vicus in confinibus Samariae et magni campi sita " (*Ant. I.* XX, 6, 1). In Samariam iam saeculo VIII ante Ch. n., pro Israëlitis in captivitatem abstractis, coloni adducti sunt de urbibus Syriae et Babyloniae lingua, religione et moribus alieni (4 Rg 17, 24; 18, 34), ideoque plus minusve Iudaeis hostiles et exosi (cf. Ecli 50, 28; Jo 4, 9): ex quo factum est quod, etsi soli natura et ingenio Samaria a Iudaea nihil differet, segregata semper exstitit a Iudaeorum consuetudine et societate.

3. Tetrarchia Herodis Antipae Galilaea et Peraea constabat. Urbs autem princeps erat Tiberias ad lacum Genezareth. Galilaea autem, quae olim complectebatur territoria Aser, Nephthali, Zabulon et partem praecipuam territorii Issachar, extendebatur a campo magno usque ad Libanum (*Ant. I.* V, 1, 22); tempore autem Christi Domini videtur contraxisse limitem septentrionalem citra Cedes = *Kades*, " castrum, iuxta Iosephum, Tyriorum ", comprehendebat tamen Giscalam = *el-Gish*, quae dicitur " oppidulum Galilaeae " (*Bell. I.* IV, 2, 1). Ad orientem vero limes erat Iordanis et lacus Genezareth, frequenter appellatus etiam " mare Galilaeae " (Mt 4, 18 etc.). Ad occidentem tandem, versus Phoenicen, extremae urbes erant Cabul et Baca (cf. *Bell. I.* III, 3, 1). Dividebatur autem in Galilaeam inferiorem et superiorem et utriusque limes, iuxta Talmud (Neubauer, l. c., p. 178), erat Capharanania = *Kefr ʿAnan*, linea scilicet recta quae ab urbe Acco proficiscens Ramam et Saphet attingit.

Peraea, quam evangelistae " trans Iordanem " (Mt 4, 15, 25 etc.) vocant, iuxta Iosephum (*Bell. I.* III, 3, 3) " in longitudinem a Machaerunte ad Pellam, in latitudinem vero a Philadelphia extendebatur usque ad Iordanem. Finis ergo aquilonaris erat Pella; occidentalis Iordanis, meridionalis Moabitis; orientalis vero Arabia, Esebonitis (?), Philadelphia et Gerasa ". Philadelphiam tamen et Gerasam, non ad Peraeam proprie dictam, sed ad Decapolim pertinuisse notum est.

4. Tetrarchia Philippi, quae easdem provincias complectebatur quas in hac plaga Herodes M. in dominium habuerat, nempe Batanaeam, Trachonitidem, Auranitidem, Gaulanitidem et Paneadem, compendiose quidem non tamen perperam a s. Luca describitur, ubi Philippum dicit " tetrarcham Trachonitidis et Ituraeae " (3, 1).

Ituraeam autem, de qua in evangelio sermo est, non esse Ituraeam septentrionalem, ad quam pertinebant Libanus, planities Massyas et Antilibanus cum Hermon, sed meridionalem, quam constituebant Ulatha = *ard el-Hule* et Paneas, et cuius urbs princeps erat Caesarea Philippi, probabilis est sententia.

Trachonitis vero, etsi nomen est reapse proprium regionis asperae, lapidibus obrutae et spleluncis abundantis, quae nunc *el-Legia* dicitur et cuius metropolis, ut inscriptiones ostendunt (*C. I. Gr.* n. 4451) erat Phaene = *el-Musmije*, apud s. Lucam totam tetrarchiam denotat, quod quidem est genus scribendi commune ipsi Iosepho, qui aliquando (*Ant. I.* XVIII, 5, 4) loquitur de " Philippo.... tetrarcha Trachonitidis ", etsi aliis locis ad eandem tetrarchiam referat etiam Batanaeam, Auranitidem (*Bell. I.* II, 6, 3), Gaulanitidem et Paneadem (*Ant. I.* XVII, 8, 1).

Batanaea, in quo nomine habetur vestigium nominis Basan. Basan tamen totam regionem designabat quae est inter Hermon et Iarmuk; Batanaea vero solam regionem indicat quae est inter Trachonitidem et *nahr el-Allan* et quae hodie *en-Nuqra* appellatur.

Auranitis fuisse videtur regio quae extendebatur ad meridiem Trachonitidis et quae vel totum *gebel Hauran*, vel saltem ipsius declivia occidentalia et australia comprehendebat.

Gaulanitis tandem quae ab urbe Gaulon (Dt 4, 43; Js 20, 8) nomen sumpserat, extendebatur ad orientem lacus Genezareth fortasse usque ad *nahr el-Allan*. Iuxta Iosephum (*Bell. I.* IV, 1, 1), distinguebatur in Gaulanitidem inferiorem et superiorem.

5. Decapolis. Praeter Peraeam et regiones tetrarchiae Philippi ultra Iordanem extendebatur territorium sub directo et supremo imperio Romanorum existens et legati Syriae vigilantiae concreditum. Tale territorium erat confoederatio quaedam plurimarum civitatum hellenistarum — ab initio decem erant —, quae anno 64 a. Ch. n. a dominio Iudaeorum subtractae, singularibus iuribus et certa autonomia instructae erant. Praeter linguam et culturam etiam instituta civilia et religiosa graecorum susceperant et ostentabant. Earum nomina sunt:

1. Damascus, quae possessio facta est Romanorum ab anno 64 a. Ch. ad 38 p. Ch., quando in dominium Aretae IV regis Nabataeorum venit (cf. 2 Cor 11, 32). Caput erat regionis Damascenes.

2. Hippus = *qalat el-Hosn* caput territorii Hippenes a Pompeo liberata transiit, imperante Augusto, in dominium Herodis M., quo defuncto, in foederationem decapolitanam rediit.

3. Scythopolis, unica ex urbibus decapolitanis citra Iordanem sita magno erat praedita territorio eique vici et villae non pauci subiciebantur. Urbs erat antiquissima et notissima, eiusque s. Litterae et antiqua monumenta sub nomine Bethsan = *Beisan*, frequenter verba faciunt.

4. Pella = *Tabaqat Fahil* in limite septentrionali Peraeae, quae ab Alexandro M. condita dicebatur, vel saltem fuit ipsius natalis urbis nomine decorata.

5. Gadara = *Mukeis*. Gadaram Iosephus (*Bell. I.* IV, 7, 3) metropolim Peraeae appellat,

ubi tamen Peraea nomen sensu latissimo sumendum est.

6. Dium non longe a Gerasa.

7. Gerasa — *Gerash*, appellata aliquando Antiochia ad Chrysorrhoam.

8. Philadelphia, olim Rabbath Ammon, nunc *Amman* appellata, et a Ptolemaeo II Philadelphio suo nomine nuncupata.

9. Raphana vel Raphon (1 Mc 5, 37) = *er-Rafe*.

10. Canatha, de qua fortasse et Scriptura loquitur (Nm 32, 42 etc.).

Hisce urbibus, quas Plinius (*Hist. N.* V, 18, 74) Decapoli adnumerat, Ptolemaeus (*Geogr.* V, 14) novem alias addit, Heliopolis, Abila cognomine Lysaniae, Conna, (?) Ina... Samulis, Abida (Abila), Capitolias (= *Bet Ras*), Adra (= *Edrei*) et Gadora (= *es-Salt* (?)) quarum tamen nonnullae veluti Heliopolis, Abila Lysaniae, Conna et fortasse Ina ad Coelesyriam certe adscribendae sunt. Damascene autem a reliquo territorio Decapoleos interposita tetrarchia Philippi dividebatur; pariterque Raphana per modum coloniae in Batanaea erat.

Instar urbes Decapoleos non paucae civitates hellenisticae in Palaestina huc, illuc habebantur. Tales erant urbes quae in dominium Salomes venerant et illae quae in ora marittima praesidi Syriae directe subiciebantur, veluti Raphia, Gaza, Anthedon, Ascalon, Dora etc.

Finitimi autem Palaestinae populi contra meridiem et contra orientalem plagam erant Nabataei, quorum regnum iuxta Iosephum (*Ant. I.* I, 12, 4) ab Euphrate usque ad mare Rubrum extendebatur; aquilonem versus vero Phoenices de quibus iam fuit sermo.

CAPUT VII.

IERUSALEM

1. SITUS. — 2. AQUAE. — 3. MURI. — 4. PORTAE ET TURRES. — 5. AEDIFICIA, INTER QUAE PRAECIPUUM LOCUM OBTINET TEMPLUM.

1. Ierusalem, aliquando Ierosolymae (1 Mc 1, 14 etc.) et in plerisque codicibus Hierusalem vel Hierosolyma dicta, est illa " famosa urbs " (Tacitus, *Hist.* 5, 2) " longe clarissima urbium Orientis non Iudaeae modo " (Plinius, *Hist. N.* V, 14, 70) quam Hebraei, Christiani, Islamitae sanctam vocant et quae in libris sacris passim appellatur " civitas Dei " (Ps 86, 3), " urbs sancta " (Dn 9, 24), " Salem " (Ps (hebr.) 76, 3), " Sion " (Ps. 50, 20); temporibus vero Hadriani " Aelia " vel " Colonia Aelia Capitolina ". Fuit primitus urbs vel arx Iebusaeorum ideoque etiam Iebus (Jd 19, 11 etc.) dicta, deinde urbs regia David regumque Iudae, centrum politicum et praesertim religiosum non modo Hebraeorum Palaestinensium, sed eorum etiam qui in universo orbe erant dispersi.

Sita in medio terrae, in vertice montium, qui hinc inde descendunt vel ad mare vel ad vallem Iordanis, occupat situm valde inaequalem, septentrionali latere cum regione contermina cohaerentem et tribus reliquis lateribus per profundas valles a circumiacentibus regionibus distinctum. Vallis orientalis, quae situm Ierusalem a monte Olivarum et a monte Scandali separat, vocatur diversis momentis *w. el-Gioz*, *w. sitti Maryam*, et *w. en-Nahr*, vel communiter vallis Cedron ex torrente qui eius profundum occupat, vel etiam vallis Iosaphat. Vallis e contra quae urbem cingit ab occasu solis et meridie et quae eam disiungit a monte Mali Consilii, *w. el-Mes* in parte superiore, in inferiore parte, antequam nempe cum *w. en-Nahr* commisceatur, *w. er-Rababi* nomen accipit et illa est quae antiquitus Vallis Ennom (Js 18, 16), unde Gehenna nomen ortum est, vel etiam convallis filii Ennom (4 Rg 23, 10) vel Benennom (2 Par 28, 3) dicitur. Tertia vallis, quam Iosephus (*Bell. I.* V, 4, 1) Tyropaeon sive casceariorum, vocat nunc equidem parum perspicua, alias satis profunda, dividit situm, super quem urbs aedificata est, in duos colles praecipuos, quorum occidentalis eminentior est et latior. Uterque autem vallibus tenuioribus et transversis dividuntur, ita ut merito dici possit urbem super quattuor colles aedificatam esse. Eorumque nomina hodierna sunt mons Sion et Golgotha in parte occidentali, Moria et Bezetha in parte orientali, eisque fere respondent quattuor regiones urbis ex quattuor gentibus, quae eas nunc habitant. nomen accipientes, nempe in parte occidentali Armeniorum et Christianorum, in parte vero orientali Iudaeorum et Mahumeti sectatorum.

Inter duos colles principaliores vero pons erat, quo facilius de uno in alterum transitus reddebatur, eiusque vestigia adhuc exstant in arcu Robinson dicto.

2. Etsi Strabo (XVI, 2, 36, 40) Ierusalem "intus aquis abundantem exterius omnino siccam " dicat, fontibus penitus caret, fonsque aquae subter limen templi ad orientem egredientis, de quo loquitur Ezechiel (47, 1-12), est imago pro-

phetica et symbolum non fons verus. Sunt e converso putei, qui aquas paulatim percolantes excipiunt, suntque cisternae et piscinae, et aliquando fuerunt aquaeductus, qui vel ex *w. 'Arrub*, vel ex piscinis Salomonis prope Etam, vel ex *birket Mamilla* aquas urbi suppeditabant. Cisternae praesertim abundant, vixque ulla domus est quae cisterna careat; in Templo autem innumerae, inter quas pleraeque capacissimae, habebantur. Inter piscinas, praeter Bethesdam vel Bethsaidam quinque porticus habentem (Io 5, 2) iuxta portam probaticam (2 Es 3, 1, 31) sitam, et piscinam Siloë (Io 9, 7, 11), quae erat in infima parte Tyropoeon (*Bell. I.* V, 4, 1) ad ostium illius canalis subterranei sita, qui a fonte Dominae Mariae, nempe a Gihon deducebatur intra muros antiquae urbis (cf. 2 Par 32, 30; Ecli 48, 16) et cognomine piscina regis (2 Es 2, 14 hebr.) nuncupabatur; nunc memoria dignae sunt intra muros piscinae quae vocantur *birket Hammam el-Batraq* quae cum Amygdalo (*Bell. I.* V, 11, 4) comparatur, et *birket Israin* prope portam quae ducit ad Gethsemani; extra muros vero *birket es-Sultan* in via quae Bethlehem ducit; *birket Mammilla* quae cum Serpentium piscina (*Bell. I.* V, 3, 2), non vero cum piscina superiori (Is 7, 3; 36, 2) comparatur et *birket sitti Maryam* prope portam eiusdem nominis. Pariter extra muros est fons intermittens *'ain sitti Maryam* vel *umm ed-Darağ* sub clivo Ophel in latere occidentali vallis Cedron, per aquaeductum cum piscina Siloë communicans. Hunc esse fontem Gihon (3 Rg. 1, 38) vel " superiorem fontem aquarum Gihon " (2 Par 32, 30) nunc fere omnes conveniunt. A Gihon haud longe erat fons Rogel (cf. 3 Rg 1, 9, 40, 55) ultra hortus regis (Iosephus, *Ant.* I. VIII, 14, 4) situs, nempe, iuxta communem sententiam, ubi nunc est *bir Eijub*.

3. Muri. — Communiter post Fl. Iosephum (*Bell. I.* V, 4, 1 sqq.) triplex murus distinguitur, quorum primus Davidi et Salomoni adscribitur, alter Ezechiae et Manassi; tertium vero regibus Agrippae I et II.

Post captam arcem Iebusaeorum, quae in colle orientali insedisse creditur, rex David regiam suam ex Hebron Ierusalem transtulit " aedificavitque urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum; Ioab autem reliqua urbis extruxit " (1 Par 11, 8); Salomon autem collem templi urbi addidit et firmissimis moenibus instruxit (cf. 3 Rg 3, 1; 9, 15). Murus autem, ut Iosephi verbis utar, " a turri cui nomen est Hippico ad eam quae dicitur Xystus pertinens; deinde curiae coniunctus in occiduam templi porticum desinebat. Parte autem altera ad occidentem ex eo loco (turri Hippico) ductus, per eum qui vocatur Bethso descendens in Essenorum portam: deinde supra fontem Siloam in meridiem flexus, atque inde rursus in orientem versus qua stagnum Salomonis est, et usque ad locum pertinens, quem Ophlam vocant, cum orientali porticu templi coniungitur " (*Bell. I.* V, 4, 2, edit. E. Cardwell, Oxonii 1837).

Murus alter, quem " forinsecus " Ezechias extruxit (2 Par 32, 5) et cuius reliquiae praesertim in meridie et ad orientem s. Sepulcri extant, " a porta quidem habebat initium quam Genath appellabant — haec autem fuerat muri prioris — septentrionalem vero tantummodo tractum ambiens, usque ad Antoniam ascendebat " (*Bell. I.* l. c.).

Demum tertius murus, ille est cuius directionem moenia hodierna sequuntur a porta Ioppensi usque ad portam Dominae Mariae in aquilonarem partem urbis. Huic " tertio muro turris Hippicos principium dabat, unde ad Boreae tractum pertinens; deinde ad Psephinam turrim veniens, contra munimentum Helenae, quae Adiabenorum regina fuerat, Izatae regis mater, et per speluncas regias in longum ductus, a turri quidem in angulo posita flectebatur contra Fullonis quod dicitur monumentum, cum vetere autem ambitu iunctus in Cedron vallem, quae sic dicitur, desinebat " (*Bell. I.* l. c.).

4. Portae et turres. — Scriptura sacra praesertim 2 Es 3, 1-31; 12, 31-39, varios circa moenia labores commemorans frequenter loquitur de portis et turribus, quae ad transitum et munimen constructae erant. Haec sunt nomina portarum:

a) Porta gregis in latere septentrionali templi non longe a piscina Bethesda (cf. Jo 5, 2 gr.).

b) Porta piscium (2 Par, 33, 14) ad occidentem turris Hananeel.

c) Porta vetus.

d) Porta Beniamin (Jr 37, 12) vel porta Ephraim recentior (2 Es 8, 16; 12, 38). Fuit porta Ephraim etiam in primo ambitu murorum ideo dicta prior (Zc 14, 10), quadringentis cubitibus a

e) porta anguli (4 Rg 14, 13), nempe a porta quae aperiebatur in angulo quem murus antiquus cum moenibus templi formabat (cf Jr 31, 38; Zc 14, 10).

f) Porta Gennath seu porta hortorum de qua Ioseph Fl., ubi de altero muro loquitur. Nomen autem opportune comparatur cum iis quae evangelia narrant de sepulcro D. N. I. Ch. (cf. Jo 19, 41; 20, 15).

g) Porta vallis (2 Par 26, 9) in latere occidentali.

h) Porta sterquilini a priore distans mille cubitos (2 Es 3, 13). Eam Iosephus (*Bell. I.* V, 4, 2) portam Esseniorum vocat et dicit in ea esse urbis parte ubi est Bethso seu domus stercoris. Ieremia loquitur etiam de porta fictili quae ducebat ad vallem filii Ennom (19, 2).

i) Porta fontis in extremo meridie versus solis ortum.

j) Porta inter duos muros quae ducebat ad hortum regis et ad viam deserti (4 Rg 25, 4; Jr 39, 4; 52, 7).

l) Porta aquarum, qua probabilius descensus erat ad Gihon ad auriendam aquam.

m) Porta equorum sita in angulo austro-orientali areae templi (Jr 31, 40), per quam erat accessum ad domum regis (2 Par 23, 15).

n) Porta orientalis et

o) porta iudicialis accessum dantes ex muro exteriori ad aream templi.

A Iosepho commemoratur praeterea " quae contra monumentum Helenae porta est " (*Bell. I.* V, 2, 2) pertinens, ut videtur, ad tertium murum.

Turres autem quae recoluntur sunt:

a) Turris centum cubitorum (2 Es 3, 1) vel Emath (ib. 12, 38) et

b) turris Hananeel (Jr 31, 38; Zc 14, 10). Utraque erat in septentrionali plaga areae templi ad angulum occidentalem.

c) Turris furnorum prope portam vallis (2 Es 3, 11).

6) " Turris quae eminet de domo regis excelsa " (2 Es 3, 25-27) et quae erat in muro Ophel.

7) Turris in Siloë quae cadens occidit decem et octo homines (Lc 13, 4). Praeterea legitur Ozias rex " turres... super portam anguli et super portam vallis et reliquas in eodem muri latere " aedificasse (2 Par 26, 9, 15); Ezechias " turres desuper omnem murum qui fuerat dissipatus " (2 Par 32, 5) extruxisse: pariter Iuda Machabaeus aedificavisse "civitatem David muro magno et firmo et turribus firmis " (1 Mc 1, 35) et " montem Sion et per circuitum muros altos et turres firmas " (1 Mc 4, 60) etc.

Item Iosephus (*Bell. I.* V, 4, 3 et passim) narrat in tertio muro exstitisse nonaginta turres, inter quas turrem mulierum haud longe a porta septentrionali, turrem Stratonis in arce Antonia; Psephinum in angulo inter septentrionem et occasum et tres turres in aula regia Hippico, Mariamne et Phasaëli dicatas.

5. Aedificia. — Arcem Iebusaeorum ideoque Sion et civitatem David (2 Rg 5, 7) fuisse in colle orientali conveniunt fere omnes recentiores, et hoc bene congruit cum iis quae Scriptura sacra refert de Sion (Ps 47, 1-3; Is 24, 23; 1 Mc 4, 36, 37 etc.), de civitate David (3 Rg 8, 1) et de domo David (2 Rg 24, 18, 19; cf. 2 Es 12, 31-40), de Gihon (2 Par 32, 30) etc., necnon cum iis quae archaeologia et topographia sacra nos docent. Idcirco in eodem colle fuisse sepulcra David et regum Iuda (3 Rg 2, 10; 11, 27, 43; 14, 31 etc.) domum fortium (2 Es 3, 16) et armamentarium domus saltus (Is 22, 8) pariter credendum est. Praeterea Salomonem regiam suam ibidem aedificasse et domum saltus Libani cedrinam (3 Rg 7, 1-6) et domum filiae Pharaonis (2 Par 8, 11) omnes concedunt. Aedificium tamen praecipuum collis orientalis eiusque principalissimum decor fuit templum Domini.

Ad illud extruendum David paraverat locum, aream videlicet Ornan Iebusaei (2 Rg. 24, 18-25), Salomon autem illum accomodavit. Et primo quidem muro validissimo magnis lapidibus instructo, in quo paterent ingressus et aditus ad locum sanctum, undequaque circumdedit; deinde depressit partes quae supereminebant et e contra adaequavit substructionibus adhibitis, partes quae, ob naturam collis praecipitis et declivis, defecerant. Sic omnibus complanatis et facta area idonea ad opus perficiendum manus admovit. Templi archetypus erat tabernaculum foederis, quod atrio instructum et sancto et sanctissimo constans (Ex 26, 1 sqq.) aperiebatur versus solis ortum. Pariter templum ad orientem spectans habuit aedem sacram longam 60 cubita, latam 20 et altam 30, desuper contectam non sagis de pilis caprarum aut pellibus arietum et ianthinis, sed tabulis cedrinis, quibus obtegebantur etiam parietes. In duas partes erat divisum. Pars anterior, quae sanctum dicebatur et quae erat longa 40 cubita, servabat candelabrum septemplicem, altare thymiamatum et mensa panum propositionum. Pars posterior, 20 cubita longa, lata et alta, sanctissimum dicebatur et servabat arcam foederis desuper propitiatorio contectam. Sanctum sanctorum separabatur a sancto pariete cedrino, in quo erat ostium velo (cf. Mt 27, 51; Heb 9, 3) clausum ex hyacintho et purpura, cocco et bysso opere mirabili contexto et figuris cherubim ornato. Sancto autem introitus patebat per fores valvatas abiegnas laminis aureis obductas. Ceterum aureis laminis omnis paries in sacra aede obtegebatur. Ante sanctuarium erat etiam porticus, qui per totam frontem aedifici patebat, latus proinde 20 cubita, profundus 10 cubita et altus 120 cubita. Summitas eius pinnaculum templi dicebatur. Ante porticum autem, hinc inde, duae erigebantur columnae aeneae cum capitellis pariter aeneis, Iakin et Booz appellatae, ex ceteris vero lateribus scilicet meridionali, occidentali et aquilonari sacrae aedis apposita erant cubicula triplici ordine disposita ad vasa templi adservanda.

Pro uno atrio, quod in tabernaculo habebatur, in templo Salomonis duo atria erant adiacentia unum altero inferius. Atrium vel vestibolum interius (Jr 36, 10) dicebatur etiam atrium sacerdotum (2 Par 4, 9), et in eo erat altare holocaustorum cum mare aenaeo et mensis et cetera quae ad sacrificia erant necessaria. Atrium exterius, etiam atrium magnum dictum, atrium interius et templum ambiebat et in eo aditus erant ad cubicula quae ad custodiam templi, ad coetus convocandos, ad annonam, pecunias, thesauros servandos adhibebantur, et ideo gazophylacia appellata sunt (4 Rg 12, 9 etc.).

In templo Herodis describendo, Iosephus (*Bell. I.* V, 5, 2) loquitur etiam de duplici porticu, quam " columnae sustinebant quinis et vicenis cubitis altae, de singulis saxis marmore candido, et laquearia cedrina protegebant ". Harum porticuum orientalis existimatur porticus Salomonis, de qua libri N. T. quandoque lo-

quuntur (Jo 10, 13; Ac 3, 11; 5, 12); porticus vero meridionalis, ubi erant columnarum series quattuor, porticus regia vel Herodis nuncupabatur. Hae porticus atrium ornabant gentilium, quod Herodes ceteris atriis addiderat, et omnibus patebat etiam, ut ex Evangelio patet, mercatoribus et numulariis (Jo 2, 14 etc.).

Praeter templum in Ierusalem praesertim N. T. alia plura aedificia commemoranda sunt et primo:

Arx Syrorum quae altissimam collis templi partem occupabat et quae ab Asmoneis occupata ac munita postea vero ab Herode magnificentissime exstructa in honorem M. Antonii Antonia appellata est. Hanc fuisse praetorium Pilati (Mt 27, 27 etc.), quo D. N. I. C. adductus fuit et unde initium habuit via illa dolorosa, quae ad Calvariam ducit, probabilis est sententia.

Arx Herodiorum, quam Herodes magnus decoravit et munivit tribus turribus nomine vocatis uxoris Mariamne et amicorum Hippici et Phasaëlis. Turris autem Phasaēlis communiter Turris David etiam appellatur.

Aedes Asmoneorum, quae imminebat xysto contra superiorem partem urbis (*Bell. I.* II, 16, 3), et quae fortasse domus fuit Herodis Antipae, ad quam remissus est Dominus Iesus (cf. Lc 23, 7).

In foro superiore autem veneratur Caenaculum ubi instituta est Eucharistia et Apostoli Spiritum Sanctum susceperunt, et haud longe ostenduntur domus summorum sacerdotum Caiphas et Annae.

In eodem colle occidentali sed septentrionem versus est Golgotha et haud procul sepulcrum Domini Nostri.

Extra vero muros, ad orientem, Gethsemani et sepulcrum B. M. V., ad meridiem in *w. er-Rebabi* Haceldama; ad septentrionem sub monte Bezetha lapidicinae (*magharet el-Qutun*) et paulo longius sepulcra regum, vel potius monumentum Helenae reginae Adiabenorum, ostenduntur.

Caput VIII.

IMPERII ROMANI PARS AUSTRO-ORIENTALIS

1. STATUS IMPERII ROMANI TEMPORE AUGUSTI. — 2. PROVINCIAE IMPERII IN ASIA, IN AFRICA ET IN EUROPA ORIENTALI. — 3. ITINERA S. PAULI APOSTOLI.

1. Debellato M. Antonio praelio Actiaco, tradito summo pontificatu socio triumvirali M. Aemilio Lepido, semel atque iterum ob terrae marique pacem partam clauso Iani Quirini templo, rebus ubique prospere gestis, Octavianus Augustus summa imperii potitus est totusque fuit in re publica ordinanda, non solum Romae aut in Italia quam in XII regiones distribuit, sed in universo quoque imperio. Tunc temporis dominium Romanorum extendebatur ab Euphrate ad Oceanum, a finibus Aethiopiae et ab Africa usque ad Danuvium et Rhenum, totumque constabat vel provinciis vel regnis tributariis et sociis, aut confoederatis.

Itaque Augustus, ut facilius conservaret quod acquisitum erat et securius tueretur quod periclitabatur, an. 27 a. Ch. distinxit provincias in senatorias seu pacificatas et imperiales. Senatui adiudicavit quae id unum indigerent ut recte administrarentur; sibi vero retinuit quae utpote in finibus imperii sitae contra finitimas gentes barbaras et bellicosas defendendae erant. Senatoriales provinciae traditae erant gubernandae proconsulis ideo et proconsulares dictae sunt; imperiales vero per legatos Augusti pro praetore imperator ipse gubernandas suscepit.

Senatoriae autem factae sunt:

Africa cum Numidia, Asia, Ellas et Epirum, Dalmatia seu Illyricum, Macedonia, Sicilia, Creta et Cyrenaica, Bithynia et Pontus, Sardinia, Baetica.

E contra imperialibus provinciis adscripsit:

Tarraconensis, Lusitania, Gallia tota, nempe Narbonensis, Aquitania, Lugdunensis et Belgica. Coelesyria, Cilicia et Cyprus, Aegyptus.

Non multo post autem, an. 22 a. Ch., pro provinciis Cypro et Narbonensi, quas tradidit Senatui, sibi adiudicavit Dalmatiam itemque omnes provincias, quae de novo instituendae forent.

2. Illa itaque pars Imperii Romani, quae ad nos maxime pertinet, et in qua primitus christiana religio diffusa est, complectebatur:

A. In Asia

a) Coelesyria seu Syria provincia quae constituta est anno 63 a. Ch. In ea, plus minusve libera aut independentia, confoederata et socia Romanorum, erant, praeter regnum Iudaeae quod, mortuo Herode Magno, scissum est in tetrarchias Achelai, Antipae et Philippi, regnum Commagenes, quod tandem, Tiberio imperatore, anno nempe 17 p. Ch., constitutum est in provinciam, et principatus Aretusae et Emesae.

Chalcidis ad Libanum, Abilae et Damasci, qui aliquando fuit caput Arabiae seu Nabataeorum regni (cf. 2 Cor 11, 32).

b) Provincia Asiae (Ac 2, 9), cuius metropolis fuit Ephesus, creata est, non anno 133 a. Ch., quando Attalus III rex Pergami sibi nuncupavit haeredem populum romanum, sed anno 129 a M. Aquilio (Strabo, XIV, p. 646). Regebatur per virum consularem et complectebatur Troadem, Misiam usque ad Olympum montem, Lydiam, Cariam, et annis 82 e 62 illam etiam partem Phrygiae, quam occupant Cibyra, Apamea et Synnada. In provincia Asiae erant illae septem Ecclesiae de quibus sermo est in Apocalypsi (1, 4), nempe Ephesus, Smyrna, Pergamus, Thyatira, Sardes, Philadelphia et Laodicea.

c) Bithynia (Ac 16, 7 ; 1 Pt 1, 1), quae extendebatur a Ryndaco flumine usque ad ostia Sangarii et quae facta est provincia post mortem Nicomedis III regis, anno nempe 74 a. Ch. — Anno autem 65, post debellatum a Pompeo Mitridatem regem Ponti, aucta est Ponto occidentali, regione scilicet littoranea ab Eraclea ad Halys flumen ; ideoque provincia nomen habuit Bithynia et Pontus.

d) Galatia, quae creata est provincia imperialis anno 25 a. Ch., anno nempe emortuali regis Amyntas, in tres partes dividebatur iuxta tres familias Galatarum, quae eam incoluerant, Tectosagorum scilicet, Tolictobogorum et Trocmorum, quorum urbes capitales fuerunt Ancyra, Tavium et Pessinus. Ad Galatiam spectaverunt etiam, saltem initio suae constitutionis in provinciam, Paphlagonia, Pisidia, Phrygia orientalis, Lycaonia et Isauria.

e) Cappadocia, cuius caput fuit Mazaca, postea dicta Caesarea ad monte Angeum, et quae extendebatur a finibus Galatiae ad Euphratem, a Ponto et Armenia minore ad Amanum montem et Commagenem, constituta est in provinciam anno 17 p. Ch., mortuo Archelao rege (Tacitus, *Annal.* II, 42).

f) Cilicia dividebatur per Lamum fluvium in Ciliciam Asperam seu Trachaeam et Ciliciam Planam seu Campestrem. Campestris, quae et orientalis erat et alluebatur Cydno, Pyramo et Saro fluminibus, claudebatur Tauro et Amano, ultra quos montes per portas Cilicias haud longe a Tyana, et per portas Amanidas ad campum Issicum accedebatur hinc ad Lycaoniam inde ad Syriam. Haec Ciliciae pars constituta est in romanam provinciam anno 81 a. Ch. eique addita est Cyprus insula, quae tamen anno 22 Senatui est tradita habuitque gubernatorem proconsulem (cf. Ac 13, 7). Cilicia habuit sex urbes liberas vel autonomas, Tarsum ad Cydnum, Mopsuestiam et Anazarbum ad Pyramum, Mallum, Corycum non longe a faucibus Calycadni, Seleuciam caput Tracheotidis et Aegeam. Cypri urbes praecipuae fuerunt Salamis et Paphos quae domicilium erat proconsulis (Ac 13, 7).

g) Lycia, quae tamen una cum Pamphylia creata est provincia romana nonnisi a Claudio Imp., anno 43 p. Ch. (cf. Svetonius, *Claudius*, XXV). Urbes Liciae, quarum memoria est in sacris libris, sunt Myra (Ac 27, 5), Patara (Ac 21, 1-3) et Phaselis (1 Mc 15, 23).

Pontus autem, qui, post debellatum anno 65 a. Ch. per Gn. Pompeum Mitridatem regem, diminutus fuerat regione occidentali Bithyniae adsignata, regione posita inter Halym et Irim, quae data est regi Galatiae, et regione orientali quae transiit in potestatem Archelai regis Cappadociae, constitutus est in novum regnum, quod ex nomine regis Polemonis Pontus Polemoniacus appellatum est et permansit usque ad 63 p. Ch., quo anno factum est provincia romana.

Armenia Minor autem tradita est ab Augusto regno Cappadociae eiusque sortem secuta est.

Armenia autem Maior formam regni non amisit nisi Traiano imperante, a quo (an. 114 p. Ch.) constituta est in provinciam romanam.

B. In Africa.

a) Aegyptus constituta est post mortem Antonii et Cleopatrae (an. 30 a. Ch.) in provinciam romanam, eamque Imperator sibi vindicavit in proprium, et per praefectum Augustalem usque ad Diocletiani tempus gubernavit.

b) Cyrenaica vel Pentapolis Lybiae sic nuncupata ex quinque civitatibus, Cyrene (1 Mc 15, 23 etc.), Barca, Teucheira, Hesperide seu Berenice et Apollonia, facta est provincia an. 75 a. Ch. circiter habuitque nomen, postquam, circa annum 67, addita est ei insula Creta, Creta et Cyrene.

c) Africa provincia, instituta a. 146 a. Ch. complectebatur territorium, " oppida et fines Carthaginensium " (Sallustius, *Iug.* 19), Zeugitanam scilicet et Byzacium seu regionem litoraneam, quae a Tabraca vel a flumine Tosca extenditur usque Thaenas ; anno autem 46 post Tapsense proelium etiam Numidia formam provinciae suscepit et appellata est Africa Nova (Plinius, V, 4, 3). Mauritania vero nonnisi anno 42 p. Ch. constituta est in provinciam romanam, imo in duas provincias, nempe Mauritaniam Caesariensem et Mauritaniam Tingitanam. Harum caput fuerunt Caesaraea et Tingis, Numidiae vero Cirta, Africae autem Utica.

C. In Europa autem orientali

praeter Siciliam, quae fuit " prima provincia " constituta anno 241 a. Ch., et Sardiniam et Corsicam, quae paulo post (a. 238) ereptae a Carthaginiensium dominio provincialem gubernationem susceperunt, inter antiquiores provincias Europae recoluntur :

a) Macedonia, quae creata est provincia anno 148 a. Ch. et latius patuit quam regnum macedonicum. Extendebatur enim a Nesto flumine vel a Rhodope monte usque ad Adriacum mare et a Drilo flumine et Scardo monte usque ad mare Thracicum atque intersecabatur ac quo-

dammodo dividebatur via Egnatia, quae a finibus Thraciae usque ad Dyrrhachium currebat. Urbes Macedoniae, quae libris sacris recoluntur, sunt :

Thessalonica, metropolis totius Macedoniae ad sinum Thermicum.

Neapolis = *Kavalla* quo S. Paulus appulit (Ac 16, 11 ; 20, 6).

Philippi, ubi ab Augusto constituta est colonia veteranorum, et a divo Paulo primitus in Europa praedicatum est evangelium (Ac 16, 12-40).

Amphipolis, ad fauces Strymonis fluminis, et in via Egnatia (Ac 17, 1). Apollonia (Ac 17, 1 sqq.) ad lacum Bolbe ab Amphipoli " unius diei itinere " (Livius, XLV, 28) distans, vel iuxta Antonini *Itinerarium* (ed. cit., p. 520) XXX m. p.

Beroea (Ac 17, 10-15) = *Verria*, apposita ad montem Bermium et LI m. p. a Thessalonica distans.

b) Achaia, qua comprehendebatur reliqua pars Graeciae, regio nempe, quae extenditur in meridianam plagam Macedoniae et Epiri, complectebatur scilicet Peloponnesum Thessaliam, Acharnaniam et Aetoliam, constituta est in provinciam autonomam anno 27 a. Ch., nam antea proconsuli Macedoniae erat subiecta, eique aggregata est pars Epiri (Strabo, p. 380) saltem usque Nicopolim (cf. Tacitus, *Annalis*, II, 53), necnon insulae quae Graeciae adiacent. Proconsul qui provinciam regebat Corinthi morabatur (cf. Ac 18, 12). Urbes Achaiae, de quibus memoria est in libris sacris, sunt

Athenae metropolis celeberrima Atticae in cuius Areopago Paulus sermonem habuit (Ac 17, 19 seqq.).

Corinthus bimaris, ut Ovidius (*Metamorph.* 5, 407) appellat, florentem habuit ecclesiam (Ac 18, 1-18) ibique longo tempore commoratus est Apostolus.

Cenchrae portus Corinthi ad sinum Saronicum habuit suam ecclesiam a S. Paulo fundatam (Rm 16, 1).

Sicyon recensetur (1 Mc 15, 23) inter urbes quibus Romani scripserunt ne Iudaeis mala inferrent.

Sparta, caput rei publicae in Peloponneso, amicitiam habuit cum Iudaeis tempore Machabaeorum (cfr. 1 Mc 12, 6 seqq. ; 15, 17-23 etc.).

c) Illyrium vel Illyricum (Rm 15, 19) amplectebatur regiones omnes quae erant in septentrionalem plagam Macedoniae, usque Danuvium. Primitus (an. 167 a. Ch.) aggregatum Macedoniae, anno 27 a. Ch. in provinciam autonomam constitutum est una cum Dalmatia (2 Tm 4, 10). Adiudicata est postea (an. 9 a. Ch.) Illyrico etiam Pannonia cum Norico quae regiones tamen non multo post in provincias autonomas pariter constitutae sunt. Illyrici vel potius Dalmatiae urbs capitalis fuit Salona.

d) Provinciae autem Thracia et Moesia formam autonomam susceperunt annis insequentibus, Thracia regnante Claudio anno 46 et Moesia anno 89 sub Domitiano, quando divisa est in duas provincias, superiorem et inferiorem.

3. Itinera s. Pauli apostoli. — Primum iter (Ac 13, 4 ; 14, 26) circa annum 45 inceptum est Antiochiae, unde venit Seleuciam indeque navigavit Cyprum praedicavitque Salaminae et perambulavit universam regionem usque Paphum. A Papho navigavit Pergen Pamphyliae et inde venit Antiochiam Pisidiae. Tunc profectus est Iconium, Listram et Derben ; relegensque iter venit Iconium, Antiochiam, Pergen et Attaliam indeque remeavit Antiochiam Syriae.


Secundum iter (Ac 15, 41 ; 18, 22) inceptum post Pauli reditum de concilio Apostolorum (Ac 14, 27 sqq. ; Gal 2, 1, 2), nempe circa annum 51.

Antiochia profectus peragravit Syriam et Ciliciam, unde per portas Ciliciae Derben venit, transgressus est Lystram, Iconium, intravit in Phrygiam, in Galaticam regionem, in Mysiam et in Troadem, unde, habita visione, per Samothraciam insulam navigavit in Macedoniam appellens Neapolim et transgressus Philippos, Amphipolim, Apolloniam, Thessalonicam, Beroeam per mare adsecutus est Athenas. Deinde anno IX Claudii elapso (cf. Ac 18, 2), venit Corinthum, unde post longam moram, per Ephesum, Caesaream Palaestinae et Ierusalem reversus est Antiochiam.


Tertium iter (Ac 18, 23 - 21, 8) aggressus est circa annum 54. Relicta Antiochia, ex ordine perambulavit Galatiam et Phrygiam, unde pervenit Ephesum ibique per biennium et tres menses moratus est. Tunc navigavit in Macedoniam, venit in Graeciam et fortasse progressus est usque in Illyricum (cf. Rm 15, 19). Post tres menses reversus est Philippos et per Troadem, Assum, Mitylenem, Chium, Samum, Miletum, Coum, Rhodum et Pataram recto itinere et navigans ad occidentem Cypri pervenit Tyrum, Ptolemaidem et Caesaream, unde Ierusalem pervenit circa Pentecosten anni 58.


Quartum iter (Ac 23, 31 ; 28, 16), iter nempe captivitatis, duobus temporis momentis perfectum est. Anno 58 quando nempe deductus est de Ierusalem in Caesaream per Antipatridem ; deinde anno 62, quo anno venit de Caesarea Romam navigans per Sidonem, Myram. Gnidum, Salmonem promontorium, Boniportus. Thalassam, Phoenicen, Caudam insulam, Adriam (m. Adriaticum) Melitam, Syracusas, Rhegium et Puteolim, unde per Forum Appii et Tres Tavernas Urbem adsecutus est.

TABULA





Bergomi - Edidit „Istituto Italiano d'Arti Grafiche"



MARE CASPIUM
SIVE
HYRCANUM
Cyrus Fl.
Ninive
Arbela
Hamadan
Ecbatana
Orontes M.
Ctesiphon
(Bagdad)
Seleucia ad T.
BABYLONIA
Cutha
Tell Ibrahim
Babylon
Borsippa
(Birs Nimrud)
Nippur
Calneh
Sennaar
CHALDAEA
Sirpurla
(Tell Loh)
Arach
Larsa
Ellasar (Senkerek)
Ur Chaldaeorum
Susa
Susiana
ELAM
Aspadana
(Ispahan)
Gabae
Nisaei Campi
MEDIA
Amardus Fl.
PARTHIA
Pasargadae
Persepolis
SINUS PERSICUS
BABYLON reliquiae
Modulus 1:100000
Kilometra
Babil
Murus exterior
Aedes
Regia
Templum
Aggeres externi
44
46
48
50
52
54
38
36
34
32
30
28
26




Bergomi - Edidit „Istituto Italiano d'Arti Grafiche"


M. Cenaeum
34
35
37
32
31
RANEUM M
GNUM
AMORRHAEI
Sichem
Ioppe
Lod
Azotus
Ascalon
Gaza
Hesebon
Dibon Gad
Hebron
Raphia
Ostracine
M. Cassius
Rehoboth
Horma
Desertum
Sin
Cades Barnea
PETRA
M. Hor 1328
Zodocatha
Desertum Pharan
Badiet et-Tih
Gebel et-Tih
Hazeroth
Ela, Elath
Sinus Aelaniticus
Midian
Sinai
C. Serbal
G. Musa
Raithu (Tor)
M. Rubrum
Nabataeorum insulae
Posidium pr.
Bosra
Tophel
AETHIOPIA
Mod. 1: 12 000 000
Kilometre
Elephantine ins.
Syene
I Cataracta
Nilus
II Cataracta
III Cataracta
(Gebel el Barkal)
Napata
IV Cataracta
V Cataracta
Meroe
VI Cataracta
VII Cataracta
(Chartum)
Astapus
24
22
20


COMMAGENE
CYRRHESTICA
CHALIBONITIS
CHALCIDICE
Hierapolis Bambyce
(Mambij)
Chalybon, Beroea
(Haleb)
Chalus
Arphad
Chalcis
(Kinnesrin)
Androna (Anderin)
Antiochia
Orontes
Orontes Fl.
Seleucia Pieria
(Es Tsaulik)
Rhosicum P.
Posidium Pr.
Heraclea
Laodicea, Ramintha
Alexandria
(Iskanderun)
Sinus Issicus
Issus
Rhosus Arsus
Anazarbus
Mopsuestia
Adana
Tarsus
Pyramus
Alcius campus
Pagrae
(Karamant)
Lacus
Antiochiae
Gindarus
Doliche
(Tell Duluk)
Aintab
Apamea
Imma
Arra
Melas
Arsenus
NAHARIM
RRANEUM
UM
35
36
37
38



SYRIA
SEPTENTRIONALIS
quae et
COELESYRIA
dicitur
Modulus - 1:1500 000
10 5 0 10 20 30 40 50 Km.
MARE MEDITE
S. SYRIAC
Gabala (Geble)
Badas
Balanea, Leucas
(Banijas)
Aradus
Gesiret Arwad
Maratus
(Amrit)
Boetocaece
Orthosia
(Ard-Artuse)
Tripolis
(Tarabulus)
Calamus
Theuprosopon Pr.
Botrys
(Batrun)
Byblus Gebal
(Gebeil)
Palaebyblus
(Gunije)
Berytus
Larissa Charybdis
(galat Segar)
Salaminia
(Selemije)
Arethusa
(er Rastan)
Cades, Godsu
Laodicea ad Libanum s. Scabiosa
(Tell Nebi Mind)
Orontes
Soba
Heliopolis
Iabruda
Tadmor, Palmyra
PALMYRENE
35
34




Bergomi - Edidit „Istituto Italiano d'Arti Grafiche"


MARE
(N. el-Mefgir)
(N. Iscanderune)
Saron
(N. el-Auge)
Ioppe
(N. Rubin)
Lydda
Iamnia
(W. Sarar)
(N. Sukreir)
Campestria
Ascalon
Gaza
Luchis
(Bet Gabrin)
Mon
(Genin)
Gelbo
(Ih. Dothaim)
Sichem
Antipatris
Gabaon
M. Olivarum
790
IERUSALEM
Bethlehem
777
978
(Sinet el-Bella)
927
Hebron
918
Bersabea
240
Molada
325
Rehoboth
Themar
Ascensus Scorpionis
(Sodum)
MARE MORTUUM
-393,8
R. Ghanzireh
W. el Hesa
el-Kerak
Shihan
1058
Dibon
Madaba
Nebo
806
Hesebon
864
837
Amman
1300
Gerasa
897
c
d
Long. Orientalis 36 Greenwich
35
30'
37
31
32

W. Mogib
Dibon
Machaerus
M. Mortuum
M. Olivarum
IERUSALEM
Gabaon
Lydda
Ioppe
M. MEDITER.
2000
1500
1000
500
0
500



PALAESTINA
tempore
Patriarcharum et Regum
Modulus - 1:1500000
PARTITIO PALAESTINAE
inter
XII TRIBUS ISRAËL
Modulus - 1:3000000
REGNA IUDA ET ISRAËL
Modulus - 1:3000000
MARE MAGNUM
Berytus
Bostrenus
Sidon
Tyrus
Acco
Dor
SYRIA
DAMASCUS
ARAMEI DAMASCI
TRACHON
Ausitis
Canatha
HAURAN
Salmon mons
Edrei
Bosra
REGNUM OG
Jezrael
Cana
Cabul
Achsib
Abdon
Berotha
Zabada
REGNUM DAMASCI




Long. Orientalis 36 Greenwich
35
30'
37
32
31
Samaria
HEVAEI
Sichem
Thersa
Betbsan
Dothaim
Ioppe
Lod Lydda
IERUSALEM
HORRHAEI
ENACIM
Hebron
HETHAEI
Iericho
A M O R R H A E O R U M
R E G N A
ZAMZUMMIN
Z U Z I M
Rabbath Ammon
R E G N U M S E O N
Hesebon
Dibon
Bosor
Aroer
Ar Moab
Kir (Murus) Moab
Mare Solitudinis
Mare Orientale
M. S a l i s
Vallis Salinarum
Desertum Iuda
Sodoma
T. Salicum
H O R R H A E I
A M A L E C I T A E
Rehoboth
Barad
Bersabee
Molada
Arad
Azotus
Ascalon
Gaza
R E G N U M
I S R A E L
R E G N U M
I U D A
Moab
Desertum Sin
Petra
Bosra
Zoara
Ierusalem
Gabaa
Bethel
Ramoth G.
Rabbath Ammon
Aila Elat
Asiongaber
Tophel
Zodocatha
Theman
Phunon




Bergomi-Edidit „Istituto Italiano d'Arti Grafiche”


MAR
SAMARIA
Samaria Sebaste
Sichem Sicima
M. Garizim
Antipatris
Acrabatte
Ioppe
Thamna
Lod Lydda
Accaron
Emmaus Ammaus
IERUSALEM
Mons Olivarum
Bethlehem
Herodium
759
Tecua
Hebron
Ascalon
GAZA
Gerara
Bersabea
Masada
Ziph
Malatha
IDUMAEA
Elusa
Rohoboth
Thamar
Ebada
Sodoma
Zoora
Acrabathane
Iericho
Phasaelis
Archelais
ASPHALTITIS LACUS
Amathus
Rogelim
Sochoth
Galaad
Gerasa
Pella
Philadelphia
Tyrus
Betharam
Essebon
Callirrhoe
Machaerus
Dibon
Rabbath Moab
Agalla
Ammonitis
IDUMEA
Thamara
Tophel
Bosra
Phaenum
Theman
PETRA
Lacus Genezareth eiusque vicinia
Modulus = 1 : 466 660
Km.
Safed
Chorazim
Capharnaum
Bethsaida
Iulia
Ain Tabagha
Lacus
Genezareth
Magdala
Gergesa
Mare
Tiberiadis
Tiberias
Racath
Hippos
M. Beatitudinum
Campus Asochis
Iotapatha
Ras Kruman
Arbela
Hattin
Sephoris
Nazareth
Nebi Sa'in
Chesaloth Tabor
Tabor
Endor
Nain
Parsus Hermon
515
Gadara
Samach
Sennabris
Longitudo Orient. 36 Greenwich




Spelunca Ieremiae
(Bab ez-Zahireh)
Lapicidinae
(Bab el-Amud)
T.foeminarum
Bezetha
Urbs Nova
Murus Agrippae
Arcus Ecce Homo
Via Dolorosa
Antonia (Birei)
T.Meah
B. Israel
Bab sitti Mariam
P.Probatica
Porta Piscium
Porta Vetus
Murus alter
Porta Iudiciaria
Porta orientalis
(Bab Abdul-Amid)
T.Psephina
S.Sepulcrum
Suburbium
P.Ephraim recentior
Templum
Atrium Israel
Atrium Gentilium
Porticus Salomonis
Porta Anguli
P.Gennat
Murus Antiquissimus
T.Hippicus
T.Phasael
P.Ephraim
Xistus
(Bab el-Chalil)
Domus Herodis
T.Mariamne
Porticus Herodis
P.triplex
P.duplex
Porta Equorum
Gephyra (Arcus Robinson)
Mello
Ophel
P.Vallis
(Bab Mogharibe)
Urbs Superior
Urbs Inferior
Tyropoeon
Vallis
Sion seu Civitas Davidis
Iosaphat
Domus Annae
(B.nebi Daud)
Domus Caiphae
Birket es Sultan
Dormitio B.M.V.
Caenaculum
Sep.Davidis
Bethso
Siloe
Sepulcrum Regum Iuda
Gradus ad civit.Davidis
P.Sterquilinii
Aquaeductus Pilati
P.Aquarum
P.Fontis
W. er-Rababi
Vallis Filiorum Hinnon
Haceldama
Cedron T.
Hortus Regis
Rogel (Bir Aiub)
IERUSALEM antiqua
Modulus 1:8500
50 0 50 100 150 200 metra
Ierusalem recentissima
Ierusalem a. Ch. n.
Ierusalem antiqua


Vicinia IERUSALEM
Modulus 1: 146 215
Via Ferrea
Viae publicae
Aquaeductus
IERUSALEM
Bethlehem
Mons Olivarum
Scopus M.
Gabaath Saul
(Tell el Ful)
Ramallah
Tell en Nasbe
Betunia
Gedire
Gabaon
(el-Gib)
Emmaus (?)
(el-Qubebe)
Jeby Samwil
Asor
Anania
(Shafat)
Nephtoa
(Lifta)
Sen (?)
(Der-Iesin)
Karem
(Ain Karim)
Sheraful
Tantura
Bet Sahur
Bet Tamir
Phagor
el Chadr
Ain Seleh
Silöe
Abu Dis
Bethania
Gaba
Anathot
Laisa
Sep. B. M. Virg.
Specum Agoniae D. N. I. C.
Hortus Gethsemani
Caphira
(Ch. Kefire)
Ioppe
Beroth
(Ch. el Lattatin)
Archi
Betaven
Burqa
Istra
Rama
Ataroth
Adasa
Amosa
Aphaca
Bether
(Bittir)
Hossan
Gallim
(Bet Gala)
Sep. Rachelis
(Qubbet Rahil)
Raphaim
(el Buqeia)
W. el Werd
W. es Sarar
Neapolim
Ierocho
Urtas



Bergomi - Edidit „Istituto Italiano d'Arti Grafiche"



PONTUS EUXINUS
Chersonesus Taurica
Caucasus M.
Phasis
Trapezus
Sinope
Apollonia
Bosphorus Thracicus
Propontis
Byzantium
Nicaea
Gangra
Ancyra
Sebaste
Mysia
Alexandria
Pergamus
Thyatira
Lydia
Ephesus
Chius
Mitylene
Phocaea
GALATIA
Pessinus
Caesarea
Tyana
Antiochia P.
Lycaonia
Pamphylia
Side
Myra
Patara
Rhodus
Patmos
Creta
Salmone Pr.
Thalassa
Cyprus
Salamis
Citium
Paphos
Amathus
Seleucia
Laodicea
Apamea
Aretusa
Beroea
Hierapolis
Edessa
Nisibis
Haran Charrhae
Chaboras
Resapha
Palmyra
Euphrates Fl.
Tigris Fl.
Melitene
Phoenice
Chalcis
Damascus
Ptolemais
Caesarea
Antipatris
Ioppe
Gazara
ARABIA
ARMENIA MAIOR
RANEUM
ALEXANDRIA
Paraetonium
armarica
LYBIA
AEGYPTUS
Memphis
Arsinoe
Ammonium
Tomi
Sarmatia

